De

Aristarchi discipulis.

Dissertatio philologica

quam scripsit

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

Philosophorum Ienensium ordine

rite impetrandos

Augustus Blau

Mediohusanus.

Ienae,

typis Hermanni Pohle.

1883.

Hermanno Rassow

sacrum

Aristarchi Samothracis, quem vixisse probabilis M. Schmidtii computus efficit inde ab Ol. 142, 4 usque ad 159/160 [1]), disciplina ac familiaritate satis multos usos esse constat grammaticos, qui non solum magistri sententiarum pia fide servatarum gravissimi testes exstiterunt posterioribus, inprimis Aristonico, Didymo, Nicanori, Herodiano, verum etiam observata ab illo augere, firmare, corrigere alacri certamine studuerunt. numerum autem eorum fere quadraginta fuisse Suidas tradit s. v. *Ἀρίσταρχος*: — *μαθηταὶ δὲ αὐτοῦ γραμματικοὶ περὶ τοὺς μ' ἐγένοντο* [2]). sed hi multum abest ut omnes e disertis veterum testimoniis nobis noti sint; nonnullos Suidas nobis prodidit, paucos alii scriptores: quos summae inter condiscipulos fuisse auctoritatis sponte patet. ceterum ut ne his quidem omnibus virorum doctorum qui nostra florent aetate crisis ac dubitatio pepercit, cum certis de caussis hunc illumve Aristarchi e contubernio secludendum putaverunt; ita alii fuerunt aevi Alexandrini grammatici, quamquam ab ipsis veteribus ob istam disciplinam non collaudati, quos et studiorum indoles et temporum ratio iniungere illi catervae videretur. qua de caussa equidem omnino in hoc genus literarum si quid afferre lucis, aut quidquid adhuc de hac schola innotuit, congerere ac recensere nec non quantulum potero conferre novi nixus ero, parum vereor,

---

1) v. Philol. VII p. 366 sqq.

2) J. Matter, Essai historique sur l'École d'Alexandrie, t. I p. 156: „Aristarque comptait, non pas quarante auditeurs, ce nombre serait peu considérable, mais quarante disciples, qui professèrent ses principes de critique, ses théories grammaticales.“ — eundem numerum indagare sibi visus est M. Schmidt, Didymi fragmm. p. 333, apud Athen. II p. 71 B., ubi censet pro *εἷς ὢν τῶν Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ μαθητῶν* fortasse legendum — *μ' μαθητῶν*.

ne cui inutile egisse videar. etenim et Aristarchi, cuius ad pernoscendam doctrinam inde ab Lehrsii egregio opere tot nostri viri docti operam atque acumen contulere, summo meritoque apud Alexandrinos floruit splendore nomen ac nostratibus fere inlaesa adhuc dignitate fulget, ut quos ipse vias criseos docuerit viros, homini harum literarum studioso per se operae pretium sit quaerere: et nascentis Alexandriae grammaticae artis historia ingentis virorum numeri stipata est memoria partim insigni laude de ea meritorum — nominum stupemus nubem quam praebet Villoiso in Prolegg. Il. p. XXIX sqq. et in Anecdd. Gr. II, 184 n. 2 —, quam copiam quamquam desperandum sane totam ad accuratum redigere recensum, tamen huic illi ex ea grammatico si quis suam aetatem suamque disciplinam restituerit, certe aliquid ad hoc literarum genus noscendum profecerit [1]).

iam vero antea quam ad ipsum, quod nobis propositum est, accedamus, non absque re videtur esse, de Aristarchi discipulorum catalogis, quos nostri aevi viri docti exhibuerunt, pauca disserere, et si qui immerito nobili illi contubernio intrusi fuerint, statim ab initio eos removere. primum autem, quod quidem scio, huius scholae catalogum indefessae industriae vir delineavit Io. A. Fabricius, qui in Bibliothecae Graecae t. VI p. 357. 358 hosce enumerat 'discipulos scholaeque successores': Aprum, Aristim, Aristodemum, Demetrium Ixionem, Demetrium Scepsium, Dicaearchum Lacedaemonium, Menandrum, Mnaseam, Pamphilum, Satyrum, Hellanicum, Menecratem Nysaeum, Moschum Syracusium, Ptolemaeum Pindarionem et Epithetem; filios Aristarchum et Aristagoram. quae nomina fideliter transscripsit Iac. Matter in librum quem inscripsit Essai

1) ad verba provoco viri in toto hoc campo versatissimi M. Schmidtii, quae in initio eius de Seleuco Homerico commentationis exstant insertae Philol. t. III p. 436—459: „einen mann kennen zu lernen, welcher den lehren eines meisters wie Aristarch mit unwandelbarer treue anhing, ist an sich verlockend, und für den geschichtsschreiber der griechischen grammatiker, welchem strenge scheidung der massen und überweisung der individuen an ihre schulen obliegt, um seiner bedeutsamkeit willen geboten."

historique sur l'École d'Alexandrie (Paris 1820) t. I p. 157 [1]). correctiorem praebent recensum M. H. E. Meier, Comment. I. de Andocid. quae vulgo fertur c. Alcibiad. orat. p. 13 (= Opusc. acad. I p. 93) n. 100; Graefenhan, Geschichte der klass. Philologie im Alterthum, vol. I p. 399 sqq.; postremo Sengebusch, Homer. dissert. prior. p. 30, La Roche, Homerische Textkritik p. 68 sqq.

quos si perlustrabimus catalogos, statim dicendum erit priores illos viros doctos parum accurate distinxisse inter eos, ipsum qui Aristarchum audiverunt, discipulos et posterioris aetatis grammaticos, qui illius auctoritati ac disciplinae fuerunt addicti, et haec duo grammaticorum genera inter se confudisse. hoc enim valet de Pamphilo, qui duobus fere saeculis Aristarcho fuit inferior; de quo v. inprimis M. Schmidt. Quaestt. Hesych. in Hes. ed. t. IV p. LX—XCI. idem de dubii etiam nominis grammatico Apro: nam etsi apud Suidam haec leguntur s. v. *Ἡρακλείδης Ποντικός*: — *οὗτος ἐπειδὴ ἤκουσεν Ἄπερος* (*Ἄπερως* nonn. codd.) *τοῦ Ἀριστάρχου μαθητοῦ εὐδοκιμοῦντος κατὰ τὴν Ῥώμην πολλά τε τὸν Δίδυμον διασύροντος* —, utut de his iudicandum est [2]), is nimirum qui Didymo obtrectavit, Aristarchi ipsius non potuit esse discipulus. — sed Mnaseas, Menander, Aristis huc tracti [3]) nonnisi male intellecto Suida s. v. *Ἐρατοσθένης*: — *μαθητὴν ἐπίσημον καταλιπὼν Ἀριστοφάνην τὸν Βυζάντιον οὗ πάλιν Ἀρίσταρχος μαθητής. μαθηταὶ δὲ αὐτοῦ Μνασέας καὶ Μένανδρος καὶ Ἄριστις· ἔγραψε δὲ φιλό-*

---

1) etiam magis mirus nominum delectus apud Schoellium, Gesch. d. gr. Litt. II² p. 111. 112, in quo hoc laudandum, quod inter Aristarchi discipulos et posteriores Aristarcheos distinguere studuit — sed studuit.

2) de variis de hoc nomine opinionibus v. Teuffel. in Paulyi ER. s. v. Aper 1); M. Schmidt. Did. p. 9, qui Westermanni probat sententiam pro *Ἄπερως* conicientis *Ἀντέρωτος*. addo Osann. Quaest. hom. partic. IV p. 13 n. 9, qui Aprum sive Asprum grammaticum ferens pro *Ἀριστάρχου* restitui mavult *Ἀριστονίκου*.

3) a Fabricio l. l. cl. p. 358. 372. 373. 457, Mattero l. l. cl. p. 135; Mnaseas etiam a Graefenhanio, I, 394. 400, qui erroris originem videtur non perspexisse. rem in medio relinquit Meier l. l.

σοφα κτέ. ubi Eratosthenis discipulos, non Aristarchi commemorari certum videtur esse. cf. Bernhardyi adnot. Baehrium in Paulyi ER. s. v. Menander 12). — Aristarchi aequalis fuit, sed discipulus fuisse nullo testimonio proditur Demetrius Scepsius, quem nescio qua re moti huic gregi inseruerunt post G. I. Vossium [1]) Fabricius, Schoell, Graefenhan, disertissime Wegener, De Aula Attalica p. 159 [2]). sed v. Stiehlium in Philol. V, 528, Schimbergium, Analecta Aristarchea p. 22. ac me quidem, quominus Demetrium Aristarcheis adnumerem, etiam disertum prohibet Strabonis silentium, qui illud non futurum fuisse ut relinqueret immemoratum, ubi de eo loquitur, XIII p. 609, persuasum habeam. — falso deinde huc rettulerunt Ptolemaeum Epithetam [3]) Fabricius, Graefenhan I, 391, Baehr in Paulyi ER. s. v. Ptolemaeus 56). lectum enim olim apud Suidam s. h. v.: *Πτολεμαῖος, γραμματικός, ὁ Ἐπιθέτης κληθείς, διότι εἵπετο τῷ Ἀριστάρχῳ.* quod *εἵπετο* cum Fabricius ita concinnare cum *ὁ Ἐπιθέτης* sibi visus esset, ut hoc pro 'asciticius' venderet, recte vidit Villoiso, Proleg. Il. XXX, *ἐπέθετο* rescribendum; sed ceteri incuriosa fide Fabricium secuti sunt. v. Beccardum, De scholiis in Homeri Iliadem Venetis (A), p. 62 sqq. — atque propter eundem Suidae locum Hellanicus a Fabricio videtur ascitus esse; ille enim de Ptolemaeo Epitheta cum pergit: *διηκηκόει δὲ Ἑλλανίκου τοῦ γραμματικοῦ.* — denique nescio an hinc removendus sit Dicaearchus Lacedaemonius; de quo quamquam certum Suidae testimonium hoc: *Δικαίαρχος, Λακεδαιμόνιος, γραμματικός, ἀκροατὴς Ἀριστάρχου,* mihi quidem vera visa est sententia eorum, qui istius grammatici Aristarchei mentionem nonnisi errori deberi, atque quae paucula ad eum possent referri, celeberrimi esse Dicaearchi Messenii

1) dormitat v. d., De histor. Gr. p. 179 ed. Westerm. ita locutus: „discipulus is Cratetis et Aristarchi fuit, ut Strabo dicit XIII p. 609, unde de aetate liquet". — Cratetis facit eum discipulum C. Müller FHG. IV, 382.

2) huic quem fontem obtrudit R. Gaede, Demetrii Scepsii quae supersunt, p. 4 n. 5, unde sciat, mihi ignotum est.

3) c. a. 170 a. Chr. eum reponit Clinton F. H. III, 510.

Aristotelis discipuli autumaverunt: Osanni, Beiträge zur röm. u. gr. lit. II p. 118, post in Anecd. Rom. p. 280, Fuhrii, Dicaearchi fragmm. p. 60, C. Muelleri FHG. II p. 245. 246. rem in medio relinquit Sengebuschius, Hom. diss. pr. p. 84. 85. — sed nunc ad ipsum, quod sum pollicitus, tractandum me accingo, ut Aristarchi discipulorum quam accuratissimum pro viribus possim exhibeam reçensum. quem sic instituere placuit, ut primum eos, quos Suidas in ista disciplina laudat, enumerarem, dein quos alii scriptores, tum de his agerem, quos vel nostrae aetatis viri docti illis adiunxerunt vel ipse certis de caussis huc iure referre posse mihi viderer. ceterum parum fortasse aequaliter si cui singulas huius tirocinii partes perfecisse videbor, facile huius rei spero veniam apud lectorem me obtenturum: prout enim ab eis viris doctis qui in hoc literarum genus adhuc inquisiverunt, plus minusve dictum de singulis videram et aliis alios pluribus dignos verbis censebam, varia in varios operam spatiumque impendi.

I. Dionysius Thrax.

Suidas I, 1393, 17 Bernh.: *Διονύσιος Ἀλεξανδρεύς, Θρᾷξ δὲ ἀπὸ τοῦ πατρὸς Τήρου Τῆρος* (*ἀπὸ τῆς πατρίδος Τρήρου* [*Τρήρ*] probabiliter corr. M. Schmidt) *τοὔνομα κληθείς, Ἀριστάρχου μαθητής, γραμματικός. ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ* (*Ῥόδῳ* Reines.) *ἐπὶ Πομπηΐου, καὶ ἐξηγήσατο Τυραννίωνι τῷ προτέρῳ. συνέταξε δὲ πλεῖστα γραμματικά τε καὶ συνταγματικὰ καὶ ὑπομνήματα.* de hoc post ea quae copiosissime disputavit M. Schmidt in Philol. VII, p. 360 sqq. VIII p. 231 sqq. 510 sqq. verba ego facere facile supersedere possum. — de narratiuncula illa quam exhibet schol. Dionys. apud Bekker. Anecd. II, 672, 25 dubitavit Urlichsius in Mus. Rhen. 1857 p. 444.

II. Ammonius Alexandrinus.

Ammonius in primo agmine Aristarchi discipulorum nominandus est, cum praeceptoris in schola fuisse successor tradatur.

atque apud Suidam quidem I, 285, 8 de eo [1]) haec leguntur: Ἀμμώνιος Ἀμμωνίου, Ἀλεξανδρεύς, Ἀλεξάνδρου [2]) γνώριμος, ὃς καὶ διεδέξατο τὴν σχολὴν Ἀριστάρχου, πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Αὔγουστον. haec Suidae sola si respicimus, non inde Ammonium cognoscimus nisi Aristarcheum quique scholae ab Aristarcho institutae praefuerit ante Augusti tempora. ut Fabricius, Suidae locum cum vertit: „— Alexandri discipulus et in schola Aristarchi, paullo ante Augusti imperium, successor.“ at ista non sufficiunt ad hominis aetatem determinandam. etenim scholl. Il. Ven. cum diserte eum Aristarchi discipulis annumerant

---

1) praecipue de eo: Fabricius V, 712. Villoiso, Prolegg. Il. XXVI sqq. Beccard, scholl. Ven. p. 60. 61. La Roche, H. T. p. 68 sqq. Graefenhan I, 401. II, 117. ceterum hic nescio quomodo in mirum errorem incidit, cum t. II p. 44, dum ad ipsius de nostro adnotationes relegat, de 'Ammonius dem Jüngern' Aristonici aequali disserit.

2) inde miram Matterus sibi finxit opinionem, Éc. d'Alex. I p. 179: „— Ammonius avait succédé, en qualité de chef de l'école d'Aristarque, au grammairien Alexandre“. item Schoellius, Gesch. d. gr. Litt. II² p. 111: „Alexandrus und Ammonius von Alexandrien folgten ihm [Aristarch] als Häupter seiner Schule“. modo dixissent, unde praeter h. Suidae l. cognitum hunc Alexandrum haberent. Alexandrum Polyhistorem Anonymus apud Gaisford. adnotante Bernhardyo et Clinton FH. III p. 95 voluerunt innui: quod prorsus improbabile est cum ob temporum rationes (cf. Mueller. FHG. III, 206. M. Schmidt. in Philol. VII, 366) tum quia Crateteus ille fuit. ego certi quid afferam, non habeo. an corruptum apud Suid. Ἀλεξάνδρου ac legendum Ἀριστάρχου γνώριμος? me certe mire semper habuit, hoc ipsum, quod Ammonius praecipuum inter proximos Aristarchi discipulos tenuit locum, quod scholl. Il. satis evincunt, apud Suid. parum indicari. ac praesertim si γνώριμος illud reddemus 'discipulus', id quod faciunt Fabricius, Villoiso, Matter, etiam suspectius eveniet illud Ἀλεξάνδρου, quod si in Ἀριστάρχου mutaveris, καί quod sequitur in pleniorem simul sensum aptaveris; quamquam nimirum sic quoque intellegi concedendum est. Ἀλεξάνδρου autem quam facile nasci potuerit post verbum Ἀλεξανδρεύς, sponte patet. sed ut dixi nil certi statuere audeo.

(schol. *K* 398 ὁ Ἀριστάρχειος, *B* 111 τοὺς ἀπ' αὐτοῦ [sc. Ἀριστάρχου] — Διονυσόδωρον τὸν Ἀλεξανδρέα καὶ Ἀμμώνιον), tum inter auditores Aristarchi fuisse clare ostendunt: e. g. schol. *K* 398 Ἀμμώνιος δὲ ὁ Ἀριστάρχειος πρῶτον μὲν στιγμαῖς φησι τὸν Ἀρίσταρχον παρασημειώσασθαι αὐτούς, εἶτα δὲ καὶ τέλεον ἐξελεῖν. (cf. Lehrs. Ar. p. 362). et illud quidem viris doctis dudum probatum, nec non hoc, verba illa Suidae ὃς καὶ διεδέξατο τὴν σχολὴν Ἀριστάρχου, quibus simillima habet schol. *K* 397 Ἀμμωνίῳ τῷ διαδεξαμένῳ τὴν σχολήν, etiamsi per se latiorem sensum admittant, propterea quod Ammonius inter proximos fuit Aristarchi discipulos, ita interpretanda esse, ut proxime post Aristarchum scholae illum praefuisse credamus. unde nil nisi παράδοξον elucet esse Ahrensii opinionem, quam protulit Bucol. Gr. reliqq. II p. XXXVII: Ammonium c. medium saec. primum a. Chr. vixisse putandum esse [1]). quod ut sibi persuaderet, V. d. motus est Suidae testimoniis et quod est de Ammonio πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Αὔγουστον et quod de Tryphone, nostri fortasse filio, legitur γεγονὼς κατὰ τοὺς Αὐγούστου χρόνους καὶ πρότερον. sed de his quid iudicandum sit, nunc dubitari nequit post Erwini Rohde egregiam commentationem 'Γέγονε in den Biographica des Suidas' insertam Mus. Rhen. t. XXXIII (a. 1878) p. 161—220, ubi p. 168 haec disputat: „Eine solche Ungenauigkeit der Zeitbestimmung begegnet bei Suidas besonders häufig in der Periode zwischen der Regierung des Ptolemaeus Euergetes II, des letzten Ptolemäers, nach welchem Suidas datirt, und der Zeit des Augustus. Diese lange Periode wird mit sehr dürftigen und ungenauen Epochenbezeichnungen abgespeist: dem Synchronismus mit Pompeius, mit Cicero und Antonius, einmal dem mit Sulla: eine genaue und feste Fixirung fehlte dem Hesych. für diese ganze Strecke. Daher denn πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Αὔγουστον nichts weiter

---

1) „Cur vulgo Ammonius, spretis illis testimoniis [Suidae sc. s. vv. Ἀμμώνιος et Τρύφων], proximus Aristarchi successor fuisse credatur, parum percipio; minime enim traditur παρ' Ἀριστάρχου τὴν σχολὴν διαδέξασθαι, nec quicquam dicitur nisi Ammonium unum ex Aristarchi successoribus fuisse.“

bedeutet, als: zwischen dem Regierungsantritt des Euerg. II (146 v. Chr.) und 31 v. Chr. Besonders auffallend s. *Ἀμμώνιος Ἀμμωνίου*. Nichts anderes will auch jenes *καὶ πρότερον* bei Tryphon sagen —." cf. A. de Velsen, Tryhonis fragm. p. 2.

fuit ergo Ammonius 'Aristarchi auditor et successor' (Wolf, Prolegg. p. 237), unde summa eum inter Aristarchi discipulos usum auctoritate sumendum. qua cum re concinit, quod inter principales Didymi fontes referendus videtur esse [1]). atque is varia Ammonii scripta affert. quorum primum nomino quod citat ad *K* 397: *περὶ τοῦ μὴ γεγονέναι πλείονας ἐκδόσεις τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως* propterea quod gravissimas virorum doctorum movit dubitationes. atque ego quidem hoc statim dicam, ab Lehrsii sententia illa fere omnibus comprobata, qua *τῶν δύο* censuit supplendum (De Aristarchi studiis homer. p. 27), ne nunc quidem post ea quae La Roche, H. T. p. 68 contra eam disputavit, recedendum me putare. at age quae disserit ille v. d. paullo accuratius examinemus. Lehrsium igitur ille eosque qui eum secuti sunt, neglexisse ait magnum quod inter *ἔκδοσις* et *διόρθωσις* voces sit discrimen. *ἐκδόσεις* enim esse 'abschriften, exemplare', ac praeterea veteres editiones nondum a grammaticis recensitas ista voce significari; cum *διορθώσεις* sint 'recensiones'. ac porro locutiones *ἡ Ἀριστάρχου διόρθωσις*, *ἡ Ἀ.*, vel *ἡ ἑτέρα* [2]) *τῶν Ἀ.* acriter discernit ab usitatissima *αἱ Ἀ.*, quam sibi velle *αἱ Ἀ. ἐκδόσεις* vel potius *ἐκδόσεις τῆς Ἀ. διορθώσεως*. quae omnia subtilius mihi quam verius V. d. videtur disseruisse. differunt sane *διόρθωσις* et *ἔκδοσις* inter sese eo, quod illa est recensio, haec editio: verum non eo procedere debebat V. d., ut hanc vocem simpliciter pari esse sensu

1) „cui ipse Didymus non tantum fidem habuit, sed etiam prae aliis fidem deberi significavit", Lehrs, Arist. p. 27. cf. M. Schmidt. Did. 293.

2) haec non prorsus (siquidem aliquid codici V. concedimus auctoritatis) 'altera s. secunda recensio' est, sed tantum 'una e duabus recensionibus': cf. schol. *Σ* 182 — *ἡ ἑτέρα τῶν Ἀ. διὰ τοῦ τ̄* —, *μήποτε δ' ἀμείνων ἡ προτέρα*, cum schol. V ad *Π* 613 *ἐν τῇ ἑτέρᾳ τῶν Ἀ. οὐκ ἐφέρετο καθάπαξ· ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ ὀβελὸς* (Lehrs Arist. p. 362) *αὐτῷ παρέκειτο*.

vellet cum v. ἀντίγραφον s. ἀπόγραφον. neque enim schol. Δ 3 ἐν μέντοι ταῖς ἐκδόσεσι χωρὶς τοῦ ν εὕραμεν cum La Rochio Pluygersium secuto pro recensionis Aristarcheae exemplaribus istas ἐκδόσεις acceperim, sed qualescunque editiones iudicaverim, oppositas ὑπομνήμασι quae antea dicta sunt: qua in re non adeo offendor εὕραμεν illo, quod cave nimis urgeas; similiter enim Didymus e. g. ad B 131 ἐν τῇ ἑτέρᾳ τῶν Ἀρισταρχείων εὕρομεν ἔνεισιν, quamquam ipsas duas Aristarchi recensiones illi non notas fuisse quis infitiabitur? quod autem legimus schol. Η 130 ἐν ταῖς ἐξητασμέναις Ἀριστάρχου, iam Lehrsius corrigere voluit (Ar. p. 26) ἐν τοῖς ἐξητασμένοις sc. ὑπομνήμασι; cf. τὰ λίαν ἐπιτετηδευμένα, τὰ ἠκριβωμένα ὑπ. — porro autem cum diversas istas voces ita inveniamus usurpatas, ut editiones ante adhibitam artem criticam factas nonnisi ἐκδόσεις appellentur, non statim tamen sic res se habet, ut criticae grammaticorum editiones nonnumquam aeque ἐκδόσεις non potuerint dici. an tu schol. B 221 κἀν ταῖς Ἀριστάρχου ἐκδόσεσι aliud putabis significatum atque quod διορθώσεις schol. Α 522 et B 192? ego certe cum Beccardo (p. 51 n. 16) ibi nil nisi minus accuratam dictionem agnosco, neque eam miror, nam διόρθωσις nonne simul est ἔκδοσις? nec multo aliter res se habet multis illis locis, ubi iuxta invenimus dictum αἱ Ἀριστάρχου (s. Ἀριστάρχειοι) et ἡ Ζηνοδότου et ἡ Ἀριστοφάνους — quae sunt διορθώσεις —, et ἡ Μασσαλιωτική et simm. — quae sunt ἐκδόσεις. cf. schol. B 52. 196 εἶχον δὲ καὶ χαριέσταται οὕτως ἄνευ τῆς Ζηνοδότου. 192 Ε 881. Γ 51 etc. — et quid denique αἱ Ἀριστάρχου? has esse recensionis Aristarcheae exemplaria atque ea, unde Didymus hauserit, La Roche (l. l. cf. p. 104) mihi non persuasit. primum enim illae, quidquid fuere, Didymo minime praesto fuerunt. quod mihi certo evinci videtur verborum temporibus plerumque usurpatis. vide sis modo schol. Κ 397 ἐν ταῖς Ἀ. ἐγέγραπτο. Α 447 εἶχον αἱ Ἀ., item Γ 57. 126. Η 198. Ι 73. Φ 573. — διήλλαττον αἱ Ἀ. Ξ 67. 427. (B 192 κἀν ταῖς διορθώσεσι — ἐγέγραπτο) B 221 κἀν ταῖς Ἀ. ἐκδόσεσι — εἶχε. ergo αἱ Ἀριστάρχου non ipsae Didymo notae fuerunt, sed per Aristarchi discipulos nec non per eius commentarios illi innotuerunt. sed illae quid tandem sibi velint, ut

exploremus, proficiscendum opinor ab hisce: ἐν τῇ ἑτέρᾳ τῶν Ἀρισταρχείων εὕρομεν schol. *B* 131, sim. 579. *Γ* 416. *Δ* 527. *E* 60. *Θ* 405. *I* 657. 681. *Π* 430, *Σ* 182. 579. διχῶς (αἱ Ἀ.) *Δ* 142. *Θ* 213. 311. *I* 7. 681. *K* 465. *Λ* 230. 325. *N* 627. *Ξ* 36. *B* 517. *Δ* 171. *E* 132. 181. *H* 186. *K* 159. 505. *Λ* 632. *N* 59. 359. *O* 450. *Π* 252. *Φ* 122. *X* 109. *Ψ* 273. 414. *Ω* 604. διήλλαττον αἱ Ἀ. *Ξ*. 67. 427. — quae mihi respicienti nil certius videtur esse quam hoc: significari formula αἱ Ἀριστάρχου duas Aristarchi recensiones [1]). sed aliud accedit argumentum. sexcenties enim invenimus scriptum: αἱ Ἀριστάρχου καὶ ἡ Ζηνοδότου καὶ ἡ Ἀριστοφάνους vel simile — e. g. schol. *A* 108. 169. 553. *Γ* 51. 126 etc. —, cumque totiens legatur αἱ Ἀριστάρχου, semper legitur ἡ Ζηνοδότου, ἡ Ἀριστοφάνους [2]). hanc autem dicendi diversitatem quomodo aliter explicabimus nisi hinc quod Aristarchus duas edidit Homeri recensiones, Zenodotus, Aristophanes, alii singulas?

verum redeamus ad Ammonii librum. satis puto me evicisse ἐκδόσεις in scholiis Didymeis non significare, certe non debere significare 'exemplaria' s. ἀπόγραφα, sed 'editiones'. iam quid offensionis in illa inscriptione περὶ τοῦ μὴ γεγονέναι πλείονας ἐκδόσεις τῆς Ἀ. διορθώσεως supplenti τῶ δύο? notae scilicet erant Aristarchi ἡ προτέρα et ἡ δευτέρα διόρθωσις sive ἡ προτέρα et ἡ δευτέρα τῆς διορθώσεως ἔκδοσις [3]). hoc enim cur ita dici non potuerit, quandoquidem dictum est ἡ ἐπεκδοθεῖσα διόρθωσις? itaque ut dixi in Lehrsii illa opinione existimo acquiescendum, qua Ammonius non plus duas exstitisse Aristarchi Homeri recensiones docuisse putatur. quem Ammonii librum non diversum esse ab eiusdem περὶ τῆς ἐπεκδοθείσης διορθώσεως,

---

1) ter tantum ni fallor nomen additum est: bis διορθώσεις schol. *A* 521. *B* 192, semel ἐκδόσεις *B* 221.

2) non ignoro αἱ Ἀριστοφάνους legi schol. *Θ* 513 et ε 83 Pal. Harl.; sed haec prae magno locorum numero, ubi ἡ Ἀριστοφάνους exstat, neglegenda existimo ac rescribendum cum Nauckio (Aristoph. Byz. frgmm. p. 21 n. 3) ἡ Ἀρ.

3) sive ut Wolfius dixit (Prolegg. p. 237) 'προέκδοσις et ἐπέκδοσις'.

quem Didymus citat ad *T* 365, Wolfius iure suspicatus est. et rectius etiam e mea sententia Beccardus p. 61: „libros igitur Ammonii — non duos fuisse, sed unum cum Wolfio coniecerim, sed ita fuisse unum, ut illa dissertatio libri *περὶ τ. ἐ. δ.* scripti pars quaedam (et prima quidem) proponeretur". — hunc igitur librum inter principales Didymi fontes, cum de Aristarchi recensione scriberet, fuisse suspicari licet, ac magnam partem ei deberi duplicum Aristarchi lectionum, sc. quarum ille alteras in priori, alteras in posteriori editione proposuerat, notitiam: quamquam constat non omnem —, nam etiam per alios discipulos mutatae scripturae Didymo innotuerunt [1]). nec minus Aristonicus eum consuluit, etenim eo sine dubio redeunt quae leguntur schol. *K* 398 *Ἀμμώνιος δὲ ὁ Ἀριστάρχειος πρῶτον μὲν στιγμαῖς φησι τὸν Ἀρίσταρχον παρασημειώσασθαι, εἶτα δὲ καὶ τέλειον ἐξελεῖν.*

praeterea duos Ammonii libros Didymus laudat: *πρὸς Ἀθηνοκλέα* [2]) *σύγγραμμα* schol. *H* 7 et *Γ* 368 [3]), qui et ipse liber, si e duobus his locis tantum sumere licet, in arte critica versatus est [4]); et *περὶ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος μετενηνεγμένων ἐξ Ὁμήρου* (schol. *I* 540), quae quid sibi vellent, postquam recte indicavit Lehrsius, Ar. p. 31 n. 1, Beccardus dubitavit (l. l.), dubitationem sustulit Sengebuschius in Jahnii Ann. LXVII p. 249

---

1) ut per Dionysium Thracem schol. *Σ* 207, Dionysium Sidonium *T* 365.

2) isne Zenodoti aut Aristophanis fuit adstipulator? schol. Z 71 Chaeris ei obloquitur.

3) Didymi hoc schol. esse crediderim ob ipsam eius libri citationem, quamquam offendit *ὅτι* quo incipit. ceterum v. Lehrs., Herod. scr. tria emend. p. 455: „hic, inquam, pro *ὁμοίως* fortasse fuit *μόνως*: attamen hoc incertum; et aeque certe probabile ante Ammonium aliud testimonium excidisse. [an ab Aristonico exhibitum?]. certum autem, pro *συναίρων* scribendum esse *συνᾷδον*".

4) ad *H* 7 Aristarcheam affert (*προφέρεται*, cf. schol. Z 76) lectionem; *Γ* 368 praefert scripturam *οὐδ' ἐδάμασσα* pro *οὐδ' ἔβαλόν μιν*, cuius tamen eum non esse auctorem elucere mihi videtur e voce *εἶχε*. cf. Lehrs. Ar. p. 65 not. rem non video cur addubitemus, quod facit Steinthal, Gesch. d. Sprachwissensch. p. 457 n. 2.

et in diss. hom. pr. p. 123 [1]). — sine libri nomine Ammonii testimonia afferuntur a Didymo ad *B* 111. *Z* 76. — in omnibus autem his, quamvis paucula sint, Ammonium totum agnoscimus in arte critica occupatum aut potius fidelem Aristarchi sectatorem eumque qui magistri recensionem homericam diligenter servavit ac tradidit.

ceterum non in Homero substiterunt Ammonii curae. in scholiis enim Aristophaniis testis ille aliquoties adfertur: ad Av. 1297 [2]). Pac. 363. Vesp. 947. (1238) [3]). nec tamen, id quod recte vidit O. Schneider [4]), 'continua interpretatione Aristophanem illustravit, sed tantummodo περὶ κωμῳδουμένων scripsit'; cf. schol. Pac. 363 Ἀμμώνιος δὲ ὄνομα ἀναγράφει κτἑ. — sed iusto sine dubio commentario Pindarum illustravit, cuius nonnulla per nostra scholia feruntur vestigia. et pleraeque quidem eius adnotationum sunt exegeticae: ad Pyth. IV, 44 (cf. Boeckh. Expl. p. 268. M. Schmidt. Did. p. 226). 89. 313; Nem. III, 16 (cf. M. Schmidt. ib. 230). IV, 53; una iudicium de toto carmine praebet, ad Pyth. II, 1; semel coniecturam videtur ausus esse: Ol. I, 121. (cf. Lehrs., Die Pindarscholien p. 10. Bergk. ad h. l.).

exstant denique nonnulla Ammonii testimonia ad prosodiam pertinentia, quae nostro tribuere non dubito. Bekk. An. 470, 8 Ἀφελοῦ: περισπᾶν ἀξιοῖ Ἀμμώνιος. ib. 1006, 28 τὸ πόλεων, λέξεων καὶ τὰ ὅμοια τοίνυν πρὸ μιᾶς ὀφείλει ἔχειν τὸν τόνον, Ἀμμώνιος δέ φησιν αὐτὰ παρὰ Ἀττικοῖς προπαροξύνεσθαι. eadem observatio ab Herodiano allegata, p. 1264. — ὅτι τὸ

1) „Hos versus intextos dialogis Platonicis tractavisse Ammonius Aristarcheus eo consilio censendus est ut examinaret πῶς Πλάτων προφέρεται, i. e. quo modo ille legisset eos τίνας γραφὰς vel praeoptasset vel novisset solas. Quod operae pretium erat quam maxime examinare; nam ad ipsum Platonis aevum referendae videntur antiquissimae ex editionibus, vetustissimi ex codicibus Homeri quibus Alexandrinis grammaticis uti licuit.“

2) cf. M. Schmidt. Did. p. 255. — moneo scholia Aristophan. me citare secundum edit. Duebnerianam.

3) de hoc schol. infra dicam.

4) De veterum in Aristophanem scholiorum fontibus, p. 92.

πόλεων καὶ πράξεων καὶ ὄφεων καὶ μάντεων καὶ τὰ τοιαῦτα λέγει ὁ Ἀ. ἀναγινώσκεσθαι προπαροξυτόνως παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις. Et. M. s. v. *Σιροι*, p. 714, 17: *Ἀ. δὲ ἱστορεῖ ὡς οἱ Ἀττικοὶ ὀξύνοντες τὸ ὄνομα τὸ ῑ βραχύνουσι.* (ubi de *διαφόρων λέξεων* auctore cogitavit Sylburg.) Cramer Anecd. Ox. I, 168, 15 *Ἑάφθη* (*N* 543): — *Ἀμμώνιος μὲν οὖν παρὰ τὸ ἑῶ φησὶν ἑάθη καὶ πλεονασμῷ τοῦ φ ἑάφθη· ὡς ἐν τῷ σίφλος, σίλλος γάρ, καὶ παρὰ τὸ σύρω, συρετὸς καὶ συρφετός. οἱονεὶ ἐκ τῆς σεσυρμένης ὕλης οὐσία·* — haec si recte ad nostrum defero, librum de prosodia vel de prosodia attica aliquem eum scripsisse fortasse non improbabiliter statuemus. etiamsi enim in homericis quoque scriptis ea potuit proferre, hoc tamen minus probabile fit propterea, quod illorum reliquiae nil nisi criticas res exhibent. ceterum quod Tryphonem *περὶ Ἀττικῆς προςῳδίας* (Athen. II, 53 A) librum composuisse constat, similem fortasse hac in re inter patrem filiumque — si quidem fuit — quae intercesserit necessitudinem non inepte indagabimus, qualem in alia re ostendit Sengebuschius, cum ad Ammonii de Platone illud scriptum spectans 'Ammonii consilium amplificans Trypho grammaticus etc.' (hom. diss. pr. p. 124) notaverit.

sed librum Ammonii quem laudat Athen. XIII p. 567 A *περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων*[1]) nescio an potius philosophi illius peripatetici esse *τοῦ Λαμπτρέως* cum Harlesio censeamus, qui idem *περὶ βωμῶν καὶ θυσιῶν* scripsit[2]) (Athen. XI, 476 F).

III. Apollodorus Atheniensis.

Apollodorum scriptorem celeberrimum inter Aristarchi discipulos fuisse et Suidas testatur I p. 620: *Ἀπολλόδωρος, Ἀσκληπιάδου, γραμματικός, εἷς τῶν Παναιτίου τοῦ Ῥοδίου φιλοσόφου καὶ Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ μαθητῶν, Ἀθηναῖος τὸ γένος. ἦρξε δὲ πρῶτος τῶν καλουμένων τραγιάμβων*, et Scymnus perieg.

---

1) item inscriptus Apollodori Atheniensis liber.

2) Jonsius De scriptt. hist. philos., in indice: „Ammonius Aristarcheus — forte idem qui de scortis Atheniensium scripsit". Westermann in Paulyi ER. s. v. Ammonius 2) rem in dubio sinit esse.

v. 21: *συνεσχολακὼς δὲ πολὺν Ἀριστάρχῳ χρόνον*. nobis e variis huius viri studiis pauca satis erit stringere, quae ad doctrinam Aristarcheam pertinent. atque inprimis attingendae observationes illius ad homericorum carminum res geographicas et chorographicas spectantes, quas protulisse eum notum est in commentario illo quem composuit *περὶ νεῶν καταλόγου*[1]) librorum XII, plurimum illo a Strabone usurpato[2]). in universum igitur Apollodorus de his rebus suum fecit Eratosthenis iudicium, quo Homerum cum antea quarumlibet rerum perhiberent peritum, multa ipse nescire cum illo optime vidit[3]). v. Strab. p. 298 *ἃ δ' Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ νεῶν προοιμιαζόμενος εἴρηκεν ἥκιστα λέγοιτ' ἄν. ἐπαινεῖ γὰρ Ἐρατοσθένους ἀπόφασιν, ὅτι φησὶν ἐκεῖνος καὶ Ὅμηρον καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς παλαιοὺς τὰ μὲν Ἑλληνικὰ εἰδέναι, τῶν δὲ πόρρω πολλὴν ἔχειν ἀπειρίαν, ἀπείρους μὲν μακρῶν ὁδῶν ὄντας ἀπείρους δὲ τοῦ ναυτίλλεσθαι. συνηγορῶν δὲ τούτοις κτέ.*[4]) cf. Sengebusch. hom. diss. pr. p. 43: „Eratosthenis vero sententiam, qui quid rei esset ingeniose docuit, multi quidem impugnaverunt, ut Strabo, doctissimus tamen quisque suam fecit. Ita egisse Apollodorum Aristarchi discipulum Strabo patefacit; Aristarchum quoque ipsum in Eratosthenis discessisse partes scholia abunde docent". — eidem in multis rebus Demetrium Scepsium fuisse auctorem Strabo refert; v. p. 45: *οὐδ' ὁ Σκήψιος δὲ Δημήτριος εὖ, ἀλλὰ καὶ τῷ Ἀπολλοδώρῳ τῶν ἁμαρτιῶν ἐνίων αἴτιος ἐκεῖνος κατέστη*;

---

1) Eustath. Il. p. 263, 36.

2) v. Lehrs. Ar. p. 250. Ben. Niese, 'Apollodors commentar zum schiffscataloge als quelle Strabos' in Mus. Rhen. t. XXXII p. 267—307.

3) talis quanti sit in intellegendo progressus sponte patet. quod enim homines eis quos et ipsi adamaverunt et admirari pieque colere a maioribus didicerunt, quaslibet perfectas virtutes tribuere solent atque auctoritatem paene absolutam: hic sollemnis humanae naturae insitus error neque is a nostra aetate alienus. quippe lente ac sero crisis subnascitur atque ea iudicandi libertas, qua quae propriae cuique sint virtutes, quae desint, distincte pernoscere possimus, omnibus nostrum adhibere iudicium audeamus.

4) v. Lehrs. Ar. p. 252 sqq.

et p. 339: ταῦτα [Apollodori] δ' οὐχ ὁμολογεῖ τοῖς ὑπὸ Σκηψίου Δημητρίου λεγομένοις, παρ' οὗ μεταφέρει τὰ πλεῖστα. — in toto autem hoc genere plerumque consensisse cum Aristarcho magistro putandus est. qualem consensum in universum prodit Strab. p. 31: (refert sententiam Aristarchi) τοῦτο δὲ ἀγνοοῦντα τὸν ποιητὴν, ὥςπερ καὶ τὰ ἄλλα, ὅσα εἴρηκεν Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ νεῶν καταλόγου δευτέρῳ, καταψεύσασθαι τῶν τόπων τὰ μὴ ὄντα. v. Lehrs. Ar. p. 253 sqq. — ab hac autem parte maxime insignis opera quam impendit, item ut Aristarchus, homonymiis quae sunt apud Homerum distinguendis [1]). quam Strabo laudat hoc potissimum loco p. 338 [2]): Ἀπολλόδωρος δὲ διδάσκων ὃν τρόπον ὁ ποιητὴς εἴωθε διαστέλλεσθαι τὰς ὁμωνυμίας, οἷον ἐπὶ τοῦ Ὀρχομενοῦ τὸν μὲν Ἀρκαδικὸν πολύμηλον καλῶν, τὸν δὲ Βοιωτιακὸν Μινύειον, καὶ Σάμον Θρηικίην συντιθείς 'μεσσηγύς τε Σάμοιο καὶ Ἴμβρου', ἵνα χωρίσῃ ἀπὸ Ἰωνικῆς, οὕτω φησὶ καὶ τὴν Θεσπρωτικὴν Ἐφύραν διαστέλλεσθαι τῷ τε 'τηλόθεν' καὶ τῷ 'ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος'. Ephyram [3]) igitur cuius mentionem facit poeta *O* 531, quod non cum Demetrio Eliacam, sed Thesproticam esse statuit, Aristarchi sententiam probavit [4]), quam Aristonicus apponit ad h. v.: ἡ διπλῆ ὅτι τῆς Θεσπρωτιακῆς Ἐφύρας λέγει, οὐκ ἐκ τῆς Κορίνθου. δῆλον δὲ ἐκ τοῦ Σελλήεντος, ἀφ' οὗ καὶ Σελλοὶ οἱ περίοικοι —. cf. eundem ad *B* 659. cum Apollodori autem illa de Orchomenis apud Homerum διεσταλμένοις sententia conferendum simillimum Aristarchi iudicium, allatum ab Ariston. ad *B* 511 Ὀρχομενὸν Μινύειον: ἡ διπλῆ ὅτι καὶ ἕτερος Ὀρχομενός ἐστιν Ἀρκαδικός. ἀλλ' ὁ μὲν Βοιωτιακὸς Μινύειος καλεῖται, ὁ δὲ Ἀρκαδικὸς πολύμηλος. καὶ τοῖς ἐπιθέτοις διαστέλλεται ἡ ὁμωνυμία [5]). porro Apollodorus Oechaliam unam apud Homerum Thessalicam memorari

---

1) totum quod genus illustrat A. Schimberg, Analecta Aristarchea, diss. inaug. Gryphiswald. 1878, ubi de Apollodoro proprie agit p. 18—22.

2) v. Schimberg l. l. p. 19.

3) de Ephyris Schimberg p. 3—8, partim correctus a Gaedeo p. 6. 7.

4) Lehrs. Ar. p. 236.

5) Schimberg p. 12. 20.

adversus Demetrium cum Aristarcho putavit: Strabo p. 339: τοῦτό τε οὖν εἴρηκε (Apollodorus) σκέψεως δεόμενον καὶ περὶ τῆς Οἰχαλίας ὅτι φησὶν οὐ μιᾶς οὔσης, μίαν εἶναι πόλιν Εὐρύτου Οἰχαλιῆος. δῆλον οὖν ὅτι τὴν Θετταλικήν, ἐφ' ἧς φησιν 'οἵ τ' ἔχον Οἰχαλίην, πόλιν Εὐρύτου Οἰχαλιῆος' κτέ. cf. Ariston. ad *B* 596 et 730 [1]). dein cum magistro consentit noster in Ἑλλάδος apud Homerum notione definienda: Strab. p. 370 cl. Lehrs. Ar. 233. v. Gaed. Demetrii Sc. quae supers. p. 8. — sed haec pauca attulisse satis sit. de tota vero nostri in hoc campo ratione Schimbergum si placet audiamus (p. 21): „— profectum quidem Apollodorum ab Aristarchi ratione, provectum tamen longius esse apparet. neque hoc miramur, si respicimus proprium utriusque consilium atque propositum. Aristarchus enim id agebat, ut ὁμωνυμίας geographicas, quae apud ipsum poetam reperiuntur, notaret et distingueret. Apollodorus contra studiis geographicis nixus Homerum ita interpretandum sibi sumpsit, ut quod ὁμωνυμίας attinet, loca etiam ab aliis scriptoribus commemorata colligeret et ex his quae in quoque apud Homerum versu intellegenda essent, doceret."

descivisse autem ab magistro notum est Apollodorum in Homeri aetate computanda et ab Eratosthene stetisse: de qua re v. Sengebusch., h. diss. pr. p. 31. 43.

est etiam, quo nostri indoles a magistri ingenio discrepuit. cum enim Aristarchus proximum et tamquam ante oculos positum Homeri sensum assequi satis haberet altioris interpretationis incuriosus [2]), Apollodorus Stoicorum more, quippe ipse Stoici philosophi discipulus, ad reconditiorem ac magis philosophicum sensum mythorum ascendere studebat, qua in re nimirum ille sicut veterum plerique etymologiam verborum quam amplectebantur satis exercebat. v. Heynium, Apollod. I² p. 387. — de studiis eius homericis criticis et grammaticis satis mihi videtur relegare ad ea quae de eis disseruit La Roche, H. T. p. 73—75.

---

1) Schimberg p. 9 sqq.

2) cf. Wolf. Proll. p. 165. Lehrs. Ar. p. 166. Steinthal. Sprachwiss. p. 485 sqq.

IV. Ptolemaeus Pindario Oroandae f. [1]).

Suidas t. II, 2 p. 526: *Πτολεμαῖος ὁ Ἀλεξανδρεύς* [2]), *γραμματικός, ὃς ἐπεκαλεῖτο Πινδαρίων* [3]). *υἱὸς δὲ ἦν Ὀροάνδου, μαθητὴς Ἀριστάρχου. ἔγραψεν Ὁμηρικῶν ὑποδειγμάτων βιβλία γ'* [e corr. Kusteri]. *Περὶ τοῦ Ὁμηρικοῦ χαρακτῆρος. Πρὸς Νεοθαλίδην περὶ λέξεως. Περὶ τοῦ παρ' Ὁμήρῳ Οὔτιδος. Περὶ Ἀστεροπαίου τοῦ παρ' Ὁμήρῳ μνημονευομένου* [4]). *καὶ ἕτερα* [5]): sed de variis his scriptis homericis pauculae tantum reliquiae aetatem tulerunt. quas perstringunt Beccard p. 64. 65 et La Roche p. 72. quinquies ille in scholiis Ven. A ad partes vocatur, a Didymo in varia proposita scriptura [6]): ad *E* 136. 695. *Θ* 23. 389, ab Herodiano in re prosodica ad *K* 292. praeterea comparet in scholiis BL ad *Λ* 120. V ad *Φ* 356. Paris. ad *Φ* 163 (cf. Lehrs. quaest. epp. p. 97); schol. *β* 222 [7]); dubitat an etiam schol. V ad *Π* 21 M. Schmidt in ind. Did. quae pauca testimonia docent eum in crisi multum versatum esse nec dubitasse ab Aristarcho recedere.

eundem Ptolemaeum nudo nomine *ὁ Πινδαρίων* significari apud Sext. Empir. adv. gramm. p. 645 Bekk.: — *ἐκτὸς εἰ μή τι φήσουσι μὴ τὴν αὐτὴν συνήθειαν ἐκβάλλειν ἅμα καὶ προςίεσθαι, ἀλλ' ἄλλην μὲν ἐκβάλλειν ἄλλην δὲ προςίεσθαι. ὅπερ καὶ λέγουσιν*

---

1) v. Fabric. I, 520. Graefenh. I, 400. 432. 503. 527. 538. II, 6. 43.

2) hinc levius locutus Graefenhan II, 43 „oft auch Ptolemaeus der Alexandriner genannt.“

3) in scholl. Il. Ven. semper *ὁ Ὀροάνδου* audit, *ὁ Πινδαρίων* schol. Paris. ad *Φ* 163 et V ad *Φ* 356.

4) hinc fortasse schol. Paris. *Φ* 163.

5) *'ἐν τῷ περὶ Ὁπλοποιΐας'* sch. *E* 136, h. e. in commentario in *Σ*, v. Villois. Prol. Il. XXX.

6) Becard p. 64: „Quibus libris ita usus esse videtur Didymus, ut rebus quae in iis expositae erant neglectis lectiones tantum novas a Ptolemaeo propositas reciperet in commentarios.“

7) ubi cum Diudorfio crediderim *χεύσω* eum scripsisse, item ab Aristarcho in hac re aberrasse. cf. Friedlaenderum, Ariston. p. 6.

2

οἱ ἀπὸ Πινδαρίωνος. ἀναλογία, φασίν, ὁμολογουμένως ἐκ τῆς συνηθείας ὁρμᾶται· ἔστι γὰρ ὁμίου τε καὶ ἀνομοίου θεωρία, τὸ δὲ ὅμοιον καὶ ἀνόμοιον ἐκ τῆς δεδοκιμασμένης λαμβάνεται συνηθείας, δεδοκιμασμένη δὲ καὶ ἀρχαιοτάτη ἐστὶν ἡ Ὁμήρου ποίησις· ποίημα γὰρ οὐδὲν πρεσβύτερον ἧκεν εἰς ἡμᾶς τῆς ἐκείνου ποιήσεως (cf. L. Lerschium, Die Sprachphilosophie der Alten, I, 75), censet Graefenhanius (I, 432 n. 28); ac iure quidem, quandoquidem saepissime grammatici solis cognominibus nominantur.[1]) — porro non diversum a Pindarione Graefenhanius putat (l. l.) ac post eum Beccardus Ptolemaeum illum quem *ἀναλογητικόν* Apollonius vocat[2]), Bekk. An. II 508, laudans in scriptura *αὖταρ* (cf. schol. *Γ* 1); quae coniectura haud improbabilis est[3]). sed iure Beccardus vituperavit Graefenhanium, quod etiam Ptolemaeum Aristonici patrem[4]), de quo Suidas, cum Pindarione confudit, credulum ille nactus assentatorem Bartholdum, De Eurip. scholl. fontt. p. 2 n. illum enim cum et Suidas et Herodianus (schol. *Δ* 423) a nostro seiungant, cum hoc non est quod nos putemus eundem[5]).

---

1) 'Pindarion' simpliciter dicunt, ut segregare eum a nostro videantur, Lersch l. l. Steinthal p. 517. 520. 521; quod nomen nusquam quantum scio alibi legitur. ceterum Graefenhanii istam opinionem pugnare video cum temporum computo qui efficitur Steinthalii egregia de analogisticis disputatione; quam si sequimur, hunc Pindarionem aetati grammaticorum ab Aristarcho proximorum attribuere vix possumus. sed singulis num liceat tam certum adhiberi iudicium dubito. — eundem comparere opinatus est Boeckhius (ad fragm. Pind. p. 655) apud schol. Dionysii Thrac., Bekk. An. II p. 790, 26, negante Lobeckio in Aglaoph. p. 997. v. Steph. Thes. s. v. *Πινδαρίων*.

2) v. Lersch. I, 73.

3) in analogiae studio noster deprehenditur schol. *K* 292 (*ἧνιν ὡς μῆνιν*).

4) '*ὁ τοῦ Ἀριστονίκου*': schol. *Δ* 423, Ath. XI, 481 E.

5) ceterum miror quo iure Muetzellius, De emend. Theogoniae Hes. ll. III, p. 288, et qui ad eum devocat Beccardus Schoellium incusaverint, quod duos illos grammaticos confudisset inter se; probe enim ille (Hist. lit. Gr. II, 553) eos inter se segregat.

V. Demetrius Ixion.

Suidas I, 1 p. 1246: *Δημήτριος, ὁ ἐπίκλην Ἰξίων, γραμματικός, Ἀδραμυττηνός, γεγονὼς κατὰ τοὺς Αὐγούστου τοῦ Καίσαρος χρόνους· ὃς διέτριψεν ἐν Περγάμῳ. ἐπεκλήθη δὲ τοῦτο, ὡς μέν τινες, διότι λεπίδας χρυσᾶς κλέπτων τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῆς Ἥρας ἀγάλματος ἐφωράθη· ὡς δὲ ἄλλοι, ὅτι ἀπεσύλησεν Εὐριπίδειον Φιλότιμον τὸ δρᾶμα ἔχον τὸν Ἰξίονα* [1]). *ἕτεροι δέ, ὅτι τῷ διδασκάλῳ Ἀριστάρχῳ ἀντήρισεν, ὥςπερ ὁ Ἰξίων εὐεργετήσασιν αὐτὸν τοῖς θεοῖς ἀχαριστεῖν ἐπεχείρησεν. ἔγραψε δὲ πολλὰ περὶ τῶν εἰς μι ληγόντων ῥημάτων· καὶ ἄλλα περὶ ἀντωνυμιῶν. Εἰς Ὅμηρον ἐξήγησιν, Εἰς Ἡσίοδον ὁμοίως.*

hic ergo Demetrius, quocunque modo cognominis origo se habet [2]), primum Alexandriae in Aristarchi discipulorum coetu degisse, postea ab illo defecisse ad Pergamenos grammaticos Pergamumque migrasse traditur. v. Beccard. p. 65. Graefenhan. I, 421 sqq. sed difficultatem praebuit temporis ratio qua Lexicographus nostri aetatem definivit; ut Graefenhanius: „da Suidas, inquit, des Demetrios Zeitalter in die Regierungszeit des August versetzt, so konnte er weder den Aristarch, noch Krates persönlich gekannt haben.“ (p. 422). contra Meierus, Comm. Andoc. VI, 3 p. 10, Suidam '*Αὐγούστου*' de suo addidisse putavit verbis quae sola in eius fuissent fontibus '(*γεγονὼς κατὰ τοὺς*) *Καίσαρος χρόνους*'. item Beccardus l. l. et Osannus, quaestt. hom. part. I p. 5 n. 1, hoc tenent, Demetrium inter ipsos Aristarchi discipulos fuisse, Suidae ad errorem imputandum proni, quem quidem hic fuisse vult eum, ut nostrum a Lexicographo confusum statuat cum alio eiusdem nominis homine. nos certe in hoc acquiescemus, ut errorem Suidae verbis *κατὰ τοὺς Αὐγούστου τοῦ Καίσαρος χρόνους* subesse statuamus, id quod fecit E. Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 168 [3]).

---

1) „haec apertis erroribus permixta dubites quo pacto sint expedienda“ Bernh. cf. Beccard. p. 66 n. 83. Meier. Comm. Andoc. VI, 3 p. 9 (= Opusc. ac. II p. 40 sqq.).

2) v. Lehrs. Quaest. epp. p. 21.

3) „'*γεγονὼς κατὰ τοὺς Αὐγούστου χρόνους*', diess kann, in

de scriptis Demetrii satis expositum a Beccardo et a La Rochio ll. ll., e quibus hic etiam homericorum illius studiorum quidquid nobis traditum est breviter recenset [1]). atque in his scilicet ut Crateteus improbasse plerumque Aristarchum manifestus est; cum ab huius partibus stantem prodant scholl. *Α* 424 [2]). *Β* 192. *Γ* 18. — atque obloquentem Aristarcho cum tribus [3]) quoque scholiorum Aristoph. locis invenimus, si quidem veram ducimus, ut par est, Schneideri (Arist. scholl. fontt. p. 90) sententiam ob hanc ipsam rem Ixionem significari conicientis: his enim locis nudo nomine vocatur *Δημήτριος, ὁ Ἰξίων* uno schol. Av. 1569. cf. Gerhard. De Aristarcho Aristoph. interpr. p. 25.

VI. Moschus Syracusanus.

Suidas II, 1 p. 887: *Μόσχος Συρακούσιος, γραμματικός, Ἀριστάρχου γνώριμος. οὗτός ἐστιν ὁ δεύτερος ποιητὴς μετὰ Θεόκριτον, τὸν τῶν βουκολικῶν δραμάτων ποιητήν. ἔγραψε καὶ αὐτὸς* [*βουκολικά* add. Kuster.]. Lexicographus igitur quod Moschum, bucolicum poetam celeberrimum, eundem grammaticum fuisse dicit eumque Aristarchi familiarem, rem quamquam alio teste carentem tradit per se minime incredibilem. attamen eius non apud omnes viros doctos fidem nactus est [4]). ex quibus

welcher Weise auch gedeutet, unmöglich richtig sein. Man sehe Scheurleer, de Demetrio Magnete, p. 58 ff., u. vgl. noch Apollon. de pron. p. 114 B, wo es von Tryphon heisst: *συγκαταθέμενος τῷ Ἰξίονι.* Tryphon aber, demnach mindestens doch ein Zeitgenosse des Dem. Ixion, lebte (*γεγονώς*) *κατὰ τοὺς Αὐγούστου χρόνους καὶ πρότερον*, nähmlich als Sohn des Ammonius, des Nachfolgers des Aristarch, ziemlich lange vor der Regierung des Augustus."

1) omisso schol. *Ο* 194, quod Demetrii lectionem *ἀποβήσομαι* exhibet, et per errorem allato schol. *Γ* 18 *αὐτὰρ ὃ*, cum scripserit item atque Aristarchus *αὐτὰρ δοῦρε.*

2) quode A. Philippi, Quaestt. Aristarch. spec. pr., diss. in. Gott. 1865, p. 12.

3) scholl. Ran. 308. 970. 990, quae sine dubio ex iusto Demetrii in Aristoph. commentario fluxerunt.

4) varias antiquiorum criticorum sententias nil iuvat enumerare, v. Fabric. III p. 804 sqq.

Manso[1]) Suidae verba illa γνώριμος Ἀριστάρχου de altero Moscho dicta fuisse falsoque illuc inserta censuit hanc ob caussam, quod carminis Moschei quod inscribitur Ἐπιτάφιος Βίωνος versu 100 Theocritum Bioni superstitem, Moscho autem aequalem fuisse evinceretur; illo enim loco, sicut antecedentibus vv. (94 sqq.) alios eiusdem aetatis poetas, Theocritum Bionis mortem lugere a Moscho iuberi; Moschum autem Bionis fuisse discipulum, quod apparere e vv. 101 sqq.

etiam longius progressus Fr. Schlegel omnino vulgarem de trium bucolicorum poetarum temporum rationibus opinionem invertere conatus est.[2]) nam is propter carminis Moschei III quod vulgo vocatur inscriptionem, qua Theocrito illud plerumque assignatur, ac nimium simul futili[3]) admodum cuidam notatiunculae tribuens, quae Moschum verum eiusdem poetae, alterum Theocritum nomen fuisse perhibet[4]), Theocritum atque Moschum bucolicum unum atque eundem esse poetam eumque Bionis discipulum sibi persuasit, alium autem esse Suidae grammaticum[5]).

sed omnes illae rationes dudum evanuerunt. versus enim illos carm. III 94—99, in quibus Mansonis certe summa argumenti erat posita, cum iam diu ante eum a viris doctis essent in suspicionem vocati, Naekius[6]) mere fictos a M. Musuro atque carmini illi lacunae scilicet explendae caussa intrusos esse docuit. loci autem contextum non talem fuisse, qualem a semet Musurus consutis versibus voluisset assequi, sed hunc fere: „tu, Bion, facile omnes poetas superavisti, princeps carminis buco-

1) 'Bion und Moschus', Gotha 1784, praef. — eadem fere auctor protulit in editione item inscripta quae prodiit Lipsiae a. 1807, ratione tamen habita de carm. III vv. 94—99 genuitate dubitationum.

2) Sämmtl. Werke t. IV p. 63—64.

3) cf. Bernhardy. Hist. lit. Gr. II p. 932.

4) Prolegom. A. v. fin.: „κατὰ γοῦν τινὰς Μόσχος καλούμενος Θεόκριτος ὕστερον ὠνομάσθη."

5) cf. C. Hartung. Quaestt. Mosch. p. 3.

6) Opusc. philol. p. 161 sqq.

lici, quo Smyrnae excelluisti: eodem apud Syracusanos Theocritus; ego vero, tertius, discipulus tuus heresque artis tuae, carmine ausonio parento tibi." ut v. 100 *ἐν δὲ Συρακοσίοισι Θεόκριτος* minime significent verba Theocritum Bionem mortuum *θρηνεῖν* [1]). Cretensis autem nimirum suam sibi sententiam finxit ad similitudinem eorum quae antecedunt vv. 87 sqq. ceterum v. Th. A. Fritzsche, De poetis Graecorum bucolicis, p. 1. Ahrens. Bucolic. Gr. reliqu. I p. 219. Bernhardy. Hist. Lit. Gr. II 936. — ac de his nemo nunc dubitat; caussa ergo ab hac quidem parte erit nulla, cur Suidae testimonio de Moscho Aristarchi discipulo diffidamus.

at hercle ne hoc quidem gravissima dubitatione mihi videtur carere, num quid omnino, quod ad Moschi aetatem cognoscendam valeat, sumi e carmine illo *Ἐπιτάφιος Βίωνος* quod inscriptum est, liceat. quid? quod nulla prorsus auctoritate id Moscho vulgo tribuerunt? vide modo sis codices quae indicent. in codd. 18. D. M. (secundum Ahrensii signaturam) inscriptum est *Θεοκρίτου*; in Vd.: *Μόσχου ἢ Θεοκρίτου* ('ἢ a sec. man. additum' Ahr.); nec nisi Ursini demum editio in carminis fronte habet: *Μόσχου ἐπιτάφιος Βίωνος*, probe nimirum is videbat Theocrito carmen propter v. 100 addici non posse. hoc autem in omnes recentiorum editiones irrepsit. quam ob caussam suo iure Ahrensius illud carmen e Moscheorum poematum grege semotum in incertorum idyll. numero inseruit [2]). neque Hartungium quod promiserit, Quaestiones Moscheae (diss. in. Bonn.

1) nil tamen se edoctum voluit J. Hauler, De Theocriti vita et carminibus, diss. in. Frib. Brisig. 1855, p. 17 cum dixit: „— inprimis autem Munati sententiam [cf. hypoth. id. XVII] tueri videtur testimonium Moschi plane neglectum [!]: Moschus enim in Bionis epitaphio v. 94 (ed. Mein. et Ameis.) Theocritum inter vivos numerat: *ἐν δὲ Συρακοσίοισι Θεόκριτος κτλ.* Nam quamquam illo loco ex Meinekii sententia complures versus interciderunt, tamen perspicuum est, inter eos, qui praematuram Bionis mortem defleant, etiam Theocritum referri" et quae sqq., ille quidem merito vapulans Ahrensio, Bucol. Gr. II p. XXXII.

2) dubitanter hac de re L. Schmidt in Paulyi ER. s. v. Bucolici.

1865) p. 3, cl. p. 6, Moscheum illud esse se demonstraturum satis praestitisse aut potuisse praestare putaverim.

iam vero longius ferimur. Bionis epitaphio ab Moscho abrogato, quoniam ex eo potissimum eoque Moschi esse putato adhuc viri docti quae de bucolicorum, Moschi certe et Bionis vitis aetatibusque pronuntiarent, fere omnia hauserunt: videndum profecto nobis, si quid de eis veteres diserte tradiderint. en pauca, sed quae aliquid docere videantur. Suidas praeter ea quae supra protuli, s. v. *Θεόκριτος* haec praebet: *τρεῖς γεγόνασι βουκολικῶν ἐπῶν ποιηταί, Θεόκριτος οὑτοσὶ, Μόσχος Σικελιώτης καὶ Βίων ὁ Σμυρναῖος.* schol. Anthol. Pal. IX, 440: *οὗτος ὁ Μόσχος ποιητής ἐστι τῶν καλουμένων βουκολικῶν ποιητῶν, ὧν πρῶτος Θεόκριτος, δεύτερος αὐτὸς ὁ Μόσχος, τρίτος Βίων Σμυρναῖος*[1]). (Servius in praef. ecl. Vergil.: „hoc esse poetae testans consilium, ut imitetur Theocritum Syracusanum meliorem Moscho et ceteris, qui bucolica scripserunt".)[2]) — haec igitur testimonia omnia Moscho secundum in bucolicorum poetarum serie locum vindicant, tertium Bioni; neglecta autem sunt ab omnibus fere viris doctis propter unum illum Bionis epitaphium Moscho ascriptum: quo argumento sublato nihil prorsus est quod ab illis testimoniis recedamus. egregrie haec ostendit Fr. Buecheler in Mus. Rhen. t. XXX p. 33, qui idem inscriptionem cod. Vd. '*Μόσχου ἢ Θεοκρίτου*' profectam esse a 'stulto' illo 'commento et recenti adglutinato' probabiliter suspicatur[3]). — mittenda igitur ista vulgo tradita, parum tamen firmata opinio, qua Moschum Bionis discipulum credebant, ac statuendus cum Buechelero hic temporum ordo: Theocritus, Moschus, Bion.

---

1) quae non moror Hartungium p. 2 e Suida detorta esse suspicantem, quamquam obici ei potest scholiastam, si Suidam eiusve fontem inspexisset, ita non additurum fuisse quae paullo post praebet (siquidem idem ea addidit) *οὔτε τὸν χρόνον καθ' ὃν ἦν ὁ Μόσχος γινώσκω κτέ.*

2) cf. Buecheler. l. mox laudando.

3) cf. Ahrens. Bucol. Rell. II p. 454. — aliter Hartungius p. 9.

iam habes omnia quae de nostro tradita sunt: fuit proximus post Theocritum poeta bucolicus, fuit idem grammaticus et Aristarchi discipulus.[1]) neque ego quae eis addam multa habeo. hoc pro certo ex eo, quod Aristarchi familiaritate usus est, colligendum, illum, qui natione fuit Syracusanus, aliquantum aetatis Alexandriae degisse. cui rei et hoc esse testimonium Hartungius vult (qui omnino de nostri vita disputavit p. 2—5), quod in carmine inter Theocritea XXIV, quod Moscho esse ascribendum, Ursae maioris fiat mentio, quod sidus Graeciae Italiaeque incolis non occidere, Alexandrinis occidere viris harum rerum peritis esse compertum. quod ego argumentum in medio relinquam. ceterum quod Moschus, ut literarum artisque grammaticae studiosus, Alexandriam, cuiuslibet doctrinae prae ceteris urbibus praeclaram cultricem nec non regum literis egregie faventium opulentissimam sedem, se contulit, huius sane rei permulta habet ac notissima exempla[2]). grammaticae autem nostrum operam navasse ex ipsius poematis elucet; v. Hartung. p. 3: „— Moschi enim carmina sunt ita comparata, ut grammatica auctoris studia, etsi non admonitus, facillime agnoscas, quippe quae scholae disciplinaeque usum ac doctrinam saepissime redolent"; cf. quae idem affert p. 31 et quae sqq.

iam de grammaticis Moschi studiis aliqua ex parte certius edocti simus, modo nostri ab Athenaeo fieri mentionem pro comperto habeamus l. XI 485 E *Μόσχος δ' ἐν ἐξηγήσει Ῥοδιακῶν λέξεων κεραμεοῦν ἀγγεῖόν φησιν αὐτὸ* [sc. *λεπαστὴν*] *εἶναι, ἐοικὸς ταῖς λεγομέναις πτωματίσιν, ἐκπεταλώτερον δέ.* (enume-

1) ita enim simpliciter accipi licere vocem *γνώριμος* constat. certe si quis magna fruentis auctoritate viri audiat *γνώριμος*, habere nos, quod eum non solum familiaritate, sed etiam disciplina illius usum esse cum magna veri specie statuamus, putaverim. — ceterum mirum quod halucinatur Haulerus l. l.: „iam sumamus Moschum — una cum Aristarcho Aristophanis Byzantii disciplina usum esse."

2) Matter, Éc. d'Alex. t. II, p. 32: „Théocrite tient, sous beaucoup de rapports, à l'école d'Alexandrie, aussi bien que l'un de ses plus heureux imitateurs, Moschus, l'élève d'un litérateur de la même école."

rantur h. l. auctores: Nicander, Lycophro, Moschus, Artemidorus Aristophaneus). hunc igitur Moschum ἐξηγήσεως Ῥοδιακῶν λέξεων auctorem [1]) esse nostrum negant Graefenhanius (I, 547) et Baehrius, in Paulyi ER. s. v. Moschus. cf. Meier. comm. Andoc. VI, 3 p. 6 (= Opusc. II, p. 35) n. 128. ego cur opus lexicographicum a Syracusano abiudicemus non video. cum enim in ceterorum qui perhibentur Moschorum numero [2]) grammaticus non referatur, si pronus sim ad vindicandam Aristarchi discipulo illam ἐξήγησιν, propius ab artis criticae praeceptis stare mihi videor.

VII. Aristarchus et VIII. Aristagoras, Aristarchi filii.

Suidas s. v. Ἀρίσταρχος I, 1 p. 717: — καὶ παῖδας μὲν κατέλιπεν Ἀρίσταρχον καὶ Ἀρισταγόραν, ἄμφω δὲ ἐγένοντο εὐήθεις, ὥςτε καὶ ἐπράθη ὁ Ἀρίσταρχος, Ἀθηναῖοι δὲ ἐλθόντα παρ' αὐτοῖς ἐξωνήσαντο. hos Aristarchi filios inter discipulos eius licebit referre, quamquam nil praeterea de eis proditum [3]).

IX. Ptolemaeus Ascalonita.

Ptolemaeum Ascalonitam inter Aristarchi discipulos Stephanus Byz. refert, apud quem s. v. Ἀσκάλων leguntur haec: — πολλοὶ δὲ ἐξ αὐτῆς κεχρηματίκασι, φιλόσοφοι μὲν — · γραμματικοὶ δὲ Πτολεμαῖος Ἀριστάρχου γνώριμος καὶ Δωρόθεος · — Suidas non nisi haec exhibet: Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης, γραμματικός, ὃς ἐπαίδευσεν ἐν Ῥώμῃ, dein scripta enarrat. illud autem unum certum de viri aetate testimonium addubitatione

---

1) exhibitum a Fabricio VI, p. 194, omissum Lerschio in glossographorum enumeratione, III p. 67 sqq.

2) v. Fabric. III p. 807. 808.

3) nimium spondet Matterus I, 157: „— et les deux fils de ce critique, Aristagore et Aristarque, sont également cités — credo a Fabricio — au nombre de ses successeurs.“ — v. Graefenhan. t. I p. 399.

non caruit. atque Graefenhanius quidem prorsus id aspernatus c. a. p. Chr. 50 (Augusti et Tiberii temporibus) vixisse eum putat (t. I p. 418, cf. III p. 37. 332) nullis quidem tali computo substructis argumentis. similiter V. S. Lehrsius in Ar. p. 259: „— comparatis quibusdam posterioris [sc. Aristarcho] aevi grammaticis, cum alios dico tum Tyrannionem et Ascalonitam Ptolemaeum.“ — intactum tamen quod Stephani relatum est relinquunt Beccardus p. 71 et La Rochius H. T. p. 72.

ac primum dicendum Ptolemaeum Crateteorum disciplina non fuisse alienum. quod enim eum Nicanor ad *Γ* 155 *περὶ τῆς Κρατητείου αἱρέσεως* [1]) tradit scripsisse, probabiliter inde conici potest aliquamdiu eum Pergami degisse atque Cratetea usum esse disciplina [2]). sed aetatem eius si quaerimus primos invenimus qui testimonia ei detulerint Nicanorem [3]) et Herodianum. attamen in eo quod nec Aristonicus nec Didymus mentionem eius fecerunt, non haerendum opinor; omnis enim fere nostri industria in rebus prosodicis cum versaretur, cum illorum studiis parum habebat affinitatis, et vel ille Ptolemaei liber quem Suida teste scripsit *περὶ τῆς ἐν Ὀδυσσείᾳ Ἀριστάρχου διορθώσεως* pro ceterorum eius operum ratione vix alia praeter *προςῳδικά* comprehendisse putandus est [4]). hinc igitur nulla ad aetatem illam traditam oriatur difficultas, tamen nonnulla fatendum mihi occurrisse quae offensionem praeberent. Herodianus enim schol. *Α* 396 ita loquitur: *τοσαῦτα ὁ Ἀρίσταρχος*

---

1) cf. Wegener. Aula Attal. p. 153. — errare mihi videtur Bernhardy qui (Hist. lit. gr. II p. 113) Ptolemaeum impugnasse censet illo libro scholam Cratetis: tali enim sensu usurpatum foret '*πρός*'. cf. C. Wachsmuth. De Cratete Mallota p. 8 n. 1: „Ptolemaeus Ascalonita *ἐν τῷ περὶ τῆς Κρατητείου αἱρέσεως* schol. *I* 55 [sic] a quorum partibus steterit, non liquet“.

2) sive antea putas sive postea quam Alexandriae versatus est: illud Graefenhan. statuit, hoc Beccard. et La Roche, quod mihi quoque veri videtur similius; quamquam dirimi res nequit.

3) ad *Α* 211. 216. *Γ* 155.

4) ita Lehrsius Ar. p. 29 n.: „— librum *περὶ τῆς* — putaverim in diiudicandis Aristarchi orthographia et accentibus maxime versatum fuisse.“

καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ. Πτολεμαῖος δὲ συγκατατίθεται μὲν κτέ. (procul dubio Ascalonita). idem ad *I* 6: Νικίας καὶ Πάμφιλος δασύνουσι τὸ αμυδις —, ὁ δὲ Ἀσκαλωνίτης καὶ οἱ περὶ Ἀλεξίωνα ψιλοῦσιν, πολὺ δὲ πρότερον καὶ οἱ περὶ Ἀρίσταρχον κτέ.; ac similiter ad *Λ* 636 ἄλλος] ὁ Ἀσκαλωνίτης ψιλοῖ — πολὺ πρότερον δὲ οὕτως καὶ Ἀρίσταρχος.[1]) — haec si quis perpenderit, fortasse ad nihili putandum Stephani testimonium ac multo posteriorem Aristarcho ducendum Ascalonitam inclinabit. cui equidem non statim adsenserim. nam quod Ptolemaeus scripsit περὶ τῆς ἐν Ὀδυσσείᾳ Ἀριστάρχου διορθώσεως[2]), quod librum περὶ τῆς Κρατητείου αἱρέσεως composuit, denique quod aliquoties Aristarchearum lectionum testis adfertur (ad *B* 622. *N* 246[3]); item observationis Aristarcheae: schol. *Λ* 396): in his satis cum Beccardo existimo esse caussae, cur a testimonio illo non recedamus ac potius minoris scholia quae attuli faciamus, leviori fortasse scholiastae scribendi rationi imputanda. quamquam ne sic quoque omnem mihi sublatam esse offensionem ingenue fateor. sed in ista certe locutione quam adscripsi e schol. *Λ* 396 non adeo putaverim haerendum. cum enim Ptolemaeum non inter 'strictae observantiae' Aristarcheos fuisse sciamus, sed etiam probabiliter disciplinae Crateteae partim addictum, certe sui iudicii ac suae — ut ita dicam — disciplinae hominem, non hercle mirum, si posteriorum quis grammaticorum, nempe qui ex ipsius eum scriptis nosset, ab strenuis Aristarchi asseclis illum distingueret. sed hucusque in re lubrica.

de Ptolemaei scriptis quoniam satis dictum est a viris doctis[4]), equidem qua decet brevitate utar. Suidas ab eo scripta

---

1) nil praestat schol. *Τ* 234, ubi Ptolemaeus impugnasse dicitur Apollonium τὸν τοῦ Θέωνος; de quo equidem nihil compertum habeo, quandoquidem Theonem istum eundem esse ac Didymi aequalem affirmari prorsus nequit.

2) v. Beccard. p. 71 n. 104: „deinde quod scripsit Ptolemaeus noster de Odysseae recensione Aristarchea, eum haud ita multo post Aristarchum vixisse satis videtur demonstrare."

3) cf. Bernhardy. H. L. Gr. II p. 112.

4) v. Graefenhan. t. III p. 37 sqq. 95. 98. 103. 106. 166. 332. *Beccard.* l. l. La Roch. l. l.

refert haec: προςῳδία Ὁμηρική; περὶ Ἑλληνισμοῦ, ἤτοι ὀρθοεπίας βιβλία ιε'; περὶ μέτρων [1]); περὶ τῆς ἐν Ὀδυσσείᾳ Ἀριστάρχου διορθώσεως; περὶ διαφορᾶς λέξεων. (καὶ ἕτερα γραμματικά). quibus e scholiis hom. accedunt liber ille de schola Cratetis et περὶ συναλοιφῆς (schol. *B* 461 [2])). ceterum quem nomine προςῳδία Ὁμηρική Suidas complectitur, duo potius libri fuerunt, Ἰλιακὴ et Ὀδυσσειακὴ προςῳδία [3]). (Valcken. Ammon. p. 124. cf. schol. *Φ* 38 [4])). — his vel nudis titulis, quanti facienda sit viri doctrina, perspicitur. attamen quae ex ea ad nos pervenere, fere omnia ad prosodiam Iliacam redeunt. quam adeo multus Herodianus usurpavit, ut praecipuus eius de Iliaca prosodia libri fons fuisse censendus sit.

iam imaginem quandam Ptolemaei doctrinae ad prosodiam spectantis adumbraturi gravissimas eius observationes quales per scholia Il. feruntur breviter — neque enim iustam vacat monographiam perscribere — recenseamus. — ac primum in propriis verborum accentibus saepenumero eum videmus ab Aristarcho dissentientem, saepe vero cum eo facientem. atque Aristarchum secutus scribit πόλεας *Δ* 308. θήλεας *E* 269. δημόν *Θ* 240 (Lehrs, Ar. 311). οὖλη *K* 134 (ib. 309). ζαῆς *M* 157 (Lehrs qu. epp. 155). ταρφειαί *T* 355 (Lehrs. Ar. 268); discrepans a magistro: Αἶπυ *B* 592, contra τὴν πλείων χρῆσιν (cf. Lehrs Ar. 305); quamquam κύριον esse concedens; ἁμαρτῇ, item οἱ πλείους et Herod. (Lehrs. Ar. 313). *E* 656. [ζῶς *E* 887? v. La Roch. H. T. 264] Μεγῆν *O* 302, cum aliis, ab Herod. refutatus (Lehrs. Ar. 310). περκνός *Ω* 316, itaque ἡ παράδοσις (Göttling. Acc. 196). ἀρῆς *Σ* 100, adsentiente Her. (La Roche 203). εὐχετάασθαι *Z* 268 (Göttl. 102) et σόωσι *I* 393 (?cf. La Roch. 359). sed multa sunt de quibus quomodo iudicarit Aristarchus non notatur. et Herodianus quidem eum pro-

---

1) huc redit schol. LV ad *E* 500.

2) οὕτως Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ Καθόλου καὶ Πτολεμαῖος ἐν τῷ π. σ., h. e. Herodianus et qui ab eo laudatur Ptolemaeus: v. M. Schmidt. Did. 294. item ὁ Ἀσκαλωνίτης καὶ Ἀρίσταρχος schol. *K* 242.

3) quae etiam ad partes vocatur schol. *E* 39.

4) ubi aliter de ορπηξ vocis spiritu iudicasse in illo libro traditur, aliter in hoc.

bat in pronuntiandis *χηρωσταί* *E* 158. *κόλος* *Π* 117. *αὔας* *M* 137. (*ὕψι* *N* 140). *αἴητον* *Σ* 410. *μεμνέῳτο* *Ψ* 361. *Πηλεγόνος* *Φ* 141, ubi tamen rationem eius ut parum sufficientem tollit; refutat in *ἐπητριμοί* *Σ* 211 (cf. Eustath. 1139, 4). *δάϊ* *Ξ* 387; in distinguendis *σκύμνος* et *Σκυμνός* (Göttl. Acc. 195. Lehrs. Ar. 276. 277) *Σ* 319. — et haec quidem non ita multum nos docent; sunt tamen alia, unde hoc perspicimus, Ptolemaeum analogiae studio valde addictum fuisse et inter eos grammaticos, qui magis magisque linguae materiam secundum certas normas disponere sibi sumebant, ut interdum vulgarem loquendi usum suis ex regulis coercere atque corrigere non dubitarent. et ut hoc non mirum in ea aetate, quae cum grammaticam artem exstruere conaretur, in principiis iaciendis saepe errabat[1]), sic ne illud quidem crimini istis vertendum, quod in ipsis canonibus hic illic titubaverint posterioris aevi magis — illorum tamen opera — edocti virorum ut Herodiani experturi correctiones[2]). — ad quod genus pertinent qualia de nostro traduntur: *χειμάῤῥοι* *Δ* 452 (Göttl. 319). *ἐνξοῦ* *K* 373 (ib. 316). *ἐκλέ'* *Ω* 202 (ib. 105). *ἐξέτε'* *Ψ* 266 (v. Herodiani canonem schol. *B* 765; cf. Göttl. 324. Lehrs. qu. epp. 147; — Ammon. s. v. *τρίετες*). *Ἁλίος* *E* 39 (Lehrs. Ar. 278). *νεηκέσι* *N* 391 (ubi non prorsus sibi adversantem habet Herodianum; cf. Lehrs. qu. epp. 152). *ἐέρσαι* *Ξ* 351 (La Roche H. T. 232), in quo acriter compellitur ab Herodiano; *οἰῶν* *Γ* 198 (Et. M. 620 24. cf. Steinthal. 468. 477). *κυκλόσ'* *P* 392. — accentuum diversitatem pro diverso sensu eum statuisse, praeter *Ἁλίος* et *Σκυμνός*

---

1) meminerimus modo ad nostra usque tempora, antequam eiusdem stirpis linguis adsumptis et comparandi methodo inventa verae mutationum quas sermo patitur caussae perspicerentur, easdem tenebras infima grammaticae principia obtegere atque pariter 'rationem' et 'loquendi usum' tamquam principes impacatos inter sese bellare videri. (v. e. g. Steinthalium in 'Zeitschrift für Völkerpsychologie und Sprachwissenschaft', t. I f. 2 (1859) p. 96).

2) ad hanc rem v. Lehrs. Ar. 259 et quae optime disputat Steinthal. Sprachwiss. p. 475 sqq.

quae iam attulimus, videmus ex Ammon. p. 123 σταφύλη (cf. Valcken. Animadvv. p. 157). Et. M. 742, 45. Ammon. 137 τρίετες; quibuscum comparandum, quod idem poscit in distinguendis spiritu Ἰαμενός et Ἱαμενός schol. *M* 193 (cf. Et. M. 463, 31). — in nonnullorum infinitivorum accentibus ab aliis grammaticis eum videmus aberrantem: λίτεσθαι *Π* 47 (contra πλείων παράδοσιν, quamquam Herodianus nostro laudem non denegat; v. La Roch. 260. Göttl. 58). γεγώνειν *M* 337 (contra Aristarchum. v. La R. 217). ἀκαχῆσθαι et ἀλαλῆσθαι δ 806 et μ 284 (contra πλείους adsentiente tamen Herodiano; cf. La R. 182. 183). — ad ἤ particulae accentum pertinent scholl. *B* 368 (ἦ). *Ξ* 265 (ἠ)[1]. ζ 149 (ἦ); de quibus videndus Lehrsius in qu. epp. 61 sqq. cf. Göttl. 360.

de enclisi non uno loco Ascalonitae testimonia afferuntur. ac de orthotonesi pronominum personalium, si sint in συντάξει ἐπιταγματικῇ (v. Lehrs. qu. epp. 112 sqq.), cum Aristarcho et Herodiano ei cum constet, οἶ αὐτοῦ scribit *T* 384 (quamvis aliam atque Aristarchus scripturam secutus), etiam cum Aristarcho eam neglegit *K* 242 (Lehrs. qu. epp. 114); sed vel eo illud praeceptum valere, cum antecedat αὐτός, vult *I* 680 Herodiano reprehensus. liberius legendi spatium atque ampla varie iudicandi facultas in his erat, ubi utrum orthotonumena pronomina an enclitica essent, prout oppositio (ἀντιδιαστολή) subesset necne (ἀπολύτως), quaestio erat. (cf. Lehrs. qu. epp. 107). quo pertinent quae exstant schol. *E* 252 οὐδέ σε. *O* 226 οἱ αὐτῷ (ubi etiam positionem epitagmaticam supersedit). *Π* 90 δέ. με. *A* 396 σεο (cum Aristarcho, aliam tamen afferens causam; — pronominis pers. genetivum pro possessivo valere negat); sed *I* 614 vult μὴ 'μοὶ (contra παράδοσιν, quamquam ὑγιῶς e sententia Herodiani) et τὸν δ' ἐμέ *Φ* 159. — *Y* 105 δὲ σέ φασι (?). — πως particulae acutum dat sequente enclitico *Y* 464 εἴ πώς εὐ, postulante Herod. εἴ πως εὐ (cf. Lehrs. qu. epp. 128). — ceterum noster (quod quoniam in pronominibus versamur addi liceat) in hoc a magistro desci-

---

1) „Ὁ Ἀσκαλωνίτης βαρύνει (écrit sans accent?) τὸν η̄ · ἄμεινον δὲ περισπᾶν" Egger, Apollonius Dyscole p. 290 n.

vit, quod *αὑτοῦ* et simm. (cf. Apollon. de pron. 101 A Bekk.) Hom. obtrusit, v. schol. *I* 342. cf. Lehrs. qu. epp. 114. 115.

ad anastrophen quod attinet, nostrum inter et Aristarchum hic potissimum fuit dissensus, quod hic ad *κυριώτερα*, ille ad *προςηγορικώτερα* praepositiones magis referebat [1]). (de qua re videndus Lehrsius ubi diligentissime de anastrophe agit, in qu. epp. p. 79 sqq.) itaque Ptolemaeus profert qualia sunt *B* 839 *ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος* (propriae regulae subsumit Herod., v. Lehrs. l. l.; Arist. *ἀπὸ*). *K* 18 *Νέστορ' ἔπι πρῶτον* (Lehrs 84). *B* 877 *Ξάνθου ἀπὸ δινήεντος* (ib. 80). *Ψ* 718 *τρίποδος περὶ ποιητοῖο.* tamen Ascalonita, ubi inter substantivum et genetivum inde pendentem praepositio interposita esset, et ipse cum Aristarcho praepositionem ad substantivum inclinare censebat, ut praecedente substantivo retrahi, praecedente genetivo servari accentum poposcerit. scripsit igitur cum Aristarcho *πηγῆς ἔπι Κηφισοῖο B* 523 [2]) (Lehrs 86), sed *θέων ἐπὶ Καλλικολώνῃ Y* 53 (Lehrs 85). — *ἀπό* praepositionis significantis *ἄπωθεν* accentum retrahi vult servantibus in propria sede Aristarcho (v. schol. *Σ* 64) et Herodiano (Lehrs 95. 96): *B* 162. 292 (cf. *Π* 669). *Π* 669. — nec magis aliud praeceptum Herodiani illum iam tenuit, quod est de servando accentu, si vox inter praepositionem ac vocabulum inde pendens interposita sit (cf. Lehrs. 75. Göttl. 377), ideoque improbationem subit Technici ad *E* 308, *ὦσε δ' ἄπο* scribens (Lehrs. 78) et *K* 335 *κρατὶ δ' ἔπι.* — in multis quaestio erat, praepositio utrum ad antecedens nomen an ad verbum sequens referenda esset (atque hoc nonnunquam per

---

1) v. praesertim schol. *B* 877. *ὁ Ἀρίσταρχος τοῖς κυριωτέροις συνέταττε τὰς προθέσεις — ὁ Ἀσκαλωνίτης — πρὸς τὰ προςηγορικώτερα ποιούμενος τὰς συντάξεις*: schol. *B* 839. haec pro comparativis usurpatis latioris sunt sensus. cf. Lehrs. qu. epp. 86 ad schol. *B* 523, ubi *κυριώτερον* est id quod regit genetivum, quam genetivus. ac Ptolemaeo *B* 839 *Σελλήεντος* est *προςηγορικώτερον* quam *ποταμοῦ*.

2) in errorem incidit La Roche, cum in edit. adnot. crit. ad h. l. subscripsit: „*ἔπι* Ptolemaeus et Pamphilus: *ἐπί* Alexio cum Aristarcho.“

pleonasmum, 'κατὰ παρολκήν' [1]), nonnunquam maioris ἐμφάσεως caussa [2]) factum putabant), accentus igitur retrahendus servandusne. atque illud noster sibi sumpsit *E* 332. *Z* 357; hoc *O* 555. *T* 4. *Ψ* 561. *Π* 497 [3]). *E* 138. *I* 426 et *T* 62. (schol. V ad *P* 240, cf. La R. 339).

non exiguam Ptolemaeus dedit operam singulis in contextu distinguendis vocabulis, quae res, cum uno tenore libri scriberentur, ad sensum scriptorum recte intellegendum erat gravissima. a qua parte in multis cum Aristarcho facit: unum verbum accipiens ἐπίουρος *N* 450 [4]). ὑπέρμορον *Y* 30 (La Roche 371). δίσκουρα *Ψ* 523. ἐυκλῆις *Ω* 318. τὼς *Ξ* 48 (Herod. ϑ᾽ ὥς, schol. *B*. 330). ἀνηρείψαντο *Y* 234; pro duobus vero

---

1) e. g. schol. *Ψ* 561 ἡ περισσὴν λαμβάνειν τὴν ἐπί. *Z* 357.

2) e. g. schol. *T* 4. *E* 332.

3) qui locus recte dubitat Lehrs. qu. epp. 91 n. an ad Herodianeam illam de praepositionum ἐναλλαγῇ regulam referri non debeat.

4) quod tamen non ut Aristarchus προπαροξυτόνως, sed προπερισπωμένως pronuntiavit. triplex enim isto loco fuit lectio, et unius quidem testes Zenodotus, Aristarchus — Didymus, Trypho; dein fuere, qui ἀνέστρεψαν τὴν πρόθεσιν: ἔπι οὖρον; tertius adfertur Ptolemaeus: ὁ δὲ Ἀσκαλωνίτης παρέλκειν ἡγεῖται τὴν ἐπί· διὸ καὶ τὸν τόνον φυλάσσει τῆς προθέσεως, ὁμοίως τῷ „βοῶν ἐπιβουκόλος ἀνήρ". cf. schol. *E* 178: (est de ἐπιμῆνις) Ἀρίσταρχος παρολκὴν οἴεται τῆς ἐπί, ὁμοίως τῷ ἐπισμυγερῶς καὶ „βοῶν ἐπιβουκόλος ἀνήρ". ὅταν δὲ παρέλκῃ ἡ πρόθεσις, οὐ ποιεῖται ἐξαλλαγὴν τόνου. adde Hesych. ἐπίουρος, εἰ μὲν προπερισπωμένως, περισσὴ ἡ πρόθεσις κτέ., ubi Ptolemaei agnoscimus lectionem. ἀναλογητικώτερος sane noster in hoc fuit magistro. v. Lehrs. Ar. p. 115. (ubi quam vir doctissimus prodit regulam: „composita nomina cum praepositione, ubi nihil novae significationis accedit, servare accentum suum", haec, quantum video, non nisi ex Hesychii illo loco evadit. et habet sane speciem. sed duobus illis praeceptis Aristarchi et Ptolemaei inter se simillimis (scholl. *N* 450 et *E* 178) hoc non docetur, verum tantum: praepositionem servare accentum suum. quam rem nunc non possum nisi mirari). — ceterum errat La Roche in ed., in ἐπίουρος lectionis testium numero Ptolemaeum quoque exhibens.

πάλιν, ἄγγελος Λ 652. θεράπων, ἐὺς Ν 246. ἔπι, φρίξ Η 63 (cf. Ariston. ad Η 64); praeterea cum illo legit τρίγληνα, μορόεντα Ξ 183. κῆρ, ἀπινύσσων Ο 10. μῆρε, κάη Α 464 et Β 427 [1]) (μῆρα? v. La R. in ed. crit. et H. T. 424). contra nostri a magistro dissensus notatur ad Ι 236 (ἐν, δέξια accipientis). Κ 246. Δ 539 (cf. Friedl. Ariston. 7). Ψ 387. Ρ 465. λ 597. τοσσοῦσδε [2]) legit: schol. Υ 357, cf. δ 665 (v. La Roch. 362. Lehrs. qu. epp. 133). — praeterea ad id genus pertinent hi loci: schol. Ζ 465. 319. Η 177 (cf. Nican. ad Γ 318). Ι 7. 321. Κ 25. Λ 395. 754 (cf. Lehrs. Ar. 155). Μ 297. Ο 309. Π 697. (cf. Lehrs. qu. epp. 42). Ρ 174. Σ 584 (Lehrs. Ar. 321). Τ 90. Υ 390. Ψ 319. Ω 213. λ 134. π 305. ρ 231.

iam sequantur quae ad aspirationem spectant. cum Aristarcho Ptolemaeus profert ἅμυδις Ι 6 (cf. Lehrs. Ar. 346), crasin respuit ἄλλος Λ 636; discedens ab eo, ut videtur, Ἑλεῶνος vult incolarum sermonem secutus Κ 226, cf. Lehrs. Ar. 272. dein scribit ἔτης Ζ 239 [3]) (de cuius spiritu Aristarchus nihil praeceperat, v. Lehrs. Ar. 345). ἅσσα (tum quoque cum aspero, si sensum habet τινά) Λ 554. ὁλοοίτροχος Ν 137 (cf. Et. M. 622, 39). ὅρπηκας Φ 38 (cum paradosi, sed in Odyss. prosodia ὅρπηκας docuerat). Ιαμενόν vario spiritu pro variis significationibus vult proferri, Μ 193. idem inter ἁλύειν et ἀλύειν distinxit, Eustath. 555, 20, cf. Lehrs. Ar. 330. — regulam illam qua 'adiectiva composita, si quidem altera pars aspere profertur, aspirationem — retinere — sed si eadem adiectiva in nomina propria abierint, abicere' docent

1) ἵνα ἰακώτερον ἐκδέξηται τὸ κάη. contra aeolicis formis videtur non adeo noster favisse; respuit enim ἀκαχῆσθαι, ἀλαλῆσθαι infinitivos proparoxytonos (ὡς Αἰολικῆς τῆς κλίσεως οὔσης): δ 806. μ 284. et ad Ε 299 ἀλκί dativo nominativum ἄλξ traditur substituisse, testante Tryphone, ὅτι Ἀρίσταρχος λέγει, ὅτι ἔθος τοῖς Αἰολεῦσίν ἐστι λέγειν τὴν ἰωκὴν ἰῶκα καὶ τὴν κρόκην κρόκα καὶ τὴν ἀλκὴν ἄλκα ὡς σάρκα.

2) similiter Tyrannio τοσσόςγε, schol. Ξ 396.

3) ubi docet vocabula a δασυνομένοις syncopen passis oriunda ψιλωτέα.

grammatici (Lehrs. l. l.), usque quaque valere noster videtur voluisse, quod et ipsum in tale analogiae studium quale in eo cognovimus optime convenit: sed Herodianus non item: v. schol. *E* 76, cf. Lehrs. Ar. 331 sqq., et Herodiani scrr. tr. ad h. l.[1]) Aristarchum sequitur in ἀέκηλια et scribendo et interpretando, *Σ* 77; sed contra communem paradosin εὔαδεν postulat *Ξ* 340[2]). Herodianum habet laudatorem in προάλεῖ vocabuli altera parte cum leni proferenda, *Φ* 262. — duo sunt de vocalium quantitate loci: schol. *B* 662 et *Π* 41 (λ 221?), prior cum Aristarcho consentientis, alter dissentientis ab eo; ad sch. *Π* 41 v. Steinthal. 477.

denique locos ascribam qui ad variam lectionem et ad interpretanda verba, vel ad sensum illustrandum pertinent. atque a tradita scriptura tribus tantum Ptolemaeus locis traditur descivisse: *B* 256 κιχείομαι legit, *T* 384 pravam sequitur scripturam οἷ αὐτοῦ[3]), *E* 550 εὖτ᾽ ἂν pro ὅτε τε testatur scriptum (schol. LV). — in singulis vocabulis explicandis Aristarchi vestigia Ptolemaeum videmus prementem *Δ* 235, ubi ψευδέσι a ψευδής derivari vult[4]); *Z* 260 in κ᾽(ε)αὐτός (cf. Ariston. ad 2, Friedlaender. Ariston. 8) aliis συναλοιφήν accipientibus e καὶ αὐτός; *B* 461 (schol. B, cf. Paris.) Ἀσίω. *Δ* 503 νεῶν. *Φ* 323 τυμβοχοῆσ᾽ (Crates τυμβοχόης). M. 55. 56 ἕστασαν — ἔστασαν; aberrantem vero a magistro *Δ* 212 κυκλόσ᾽ (cf. Steinthal. 481). *Θ* 328 χεὶρ (cf. Ariston. ad l.). δ 221 ἐπιλῆθον (Aristarch. ἐπίληθον — ὄνομα ἐκδεχόμενος). — *E* 461 Τρῶας[5]) scribit cum

---

1) „disputaverat [sc. Herod.] contra Ptolemaeum de necessitate et constantia.“

2) hic quoque regulam ponens: ὅτι τὰ δασυνόμενα ἐν τῇ ἐπενθέσει τοῦ ῡ ψιλοῦται, ὡς ὅλος οὖλος· οὕτως οὖν καὶ τὸ ἕαδεν εὔαδεν γένοιτο ψιλούμενον.

3) ac mire putat dativum pro genetivo positum; cf. schol. Paris. (in Cram. An. III) *A* 579: ὁ Πτολεμαῖος ἡμῖν ἀντὶ τοῦ ἡμῶν, ὁ δὲ Ἀρίσταρχος ἡμῖν.

4) Hermappia observante simplex ψευδής apud Homerum non inveniri. cf. Steinthal. 466.

5) cf. Lesbonact. περὶ σχημάτων p. 183 [Ammon. Valcken. 170].

κοινῇ (schol. LV). ἔστητε[1]) *Δ* 243 improbante Herodiano. μελάνει explicat *H* 64, ἄλεται *Λ* 192[2]). — nec sensum omisit interpungendo interpretari; cuius rei tria exstant testimonia: schol. *E* 297, ubi ab Herodiano probatur; *Λ* 211 et 216, ubi poenas luit Nicanori[3]). — in veriloquiis versatur: scholl. *Θ* 240. *Σ* 410. *Φ* 262.

hactenus lustravimus homericas Ptolemaei curas. in his cum saepenumero eum videamus ab Aristarchi doctrina pendentem aut sententias eius tradentem, non raro aliter iudicantem: nullum tamen vestigium est, unde Crateteae eum adstipulatum disciplinae esse colligi possit[4]). immo vel in his, in quibus a magistro vel a grammaticorum παραδόσει discedit, maxime Aristarcheum se praebet. hoc est in nimio analogiae studio, quod Aristarchi adstipulatores scimus tenuisse. et hoc quidem in nostro maxime spectabile[5]). vide praesertim hos quos iam attulimus locos: scholl. *Λ* 396. *B* 592. *E* 39. 76. *Z* 239. *K* 373. *N* 391. *Ξ* 340. 351. *O* 302. *Ψ* 266. his addendi nonnulli qui gravissimi ad hanc rem momenti sunt, ubi quibusdam casibus obliquis inauditos ille nominativos substituit, aliis, inter quos et Aristarchus, per metaplasmum explicantibus: ἄλξ schol. *E* 299. φύξ *Π* 697. (cf. schol. L ad *Π* 657). λίς *Λ* 352. cf. Steinthal. 483.

quae cum ita sint, quamquam aliquam Ptolemaeo cum Crateteis fuisse necessitudinem in fronte disputationis concessimus, minime tamen possumus facere cum Graefenhanio, qui eum Crateteum ipsum ducere pronior est. tota enim sententiarum indoles etsi non ab omni parte Aristarchi assentatorem, in huius tamen doctrina prorsus insistentem eum demonstrat. ut levius etiam existimem egisse Graefenhanium, qui Περγαμηνόν eum confidat appellari apud Sext. Emp. p. 612, 16 Bekk. et schol.

1) quod miror La Rochium in ed. textum recepisse; melius enim respondet ἔστητε illi quod sequitur v. 245 ἑστᾶσ'.

2) ἀνδράγρια, Et. M. 102, 34.

3) adde Steph. Byz. s. v. Ἐρυσίχη. cf. Fabric. IV, 658.

4) semel ubi in Cratetis comparet societate schol. *Φ* 323, illi cum Aristarcho adversatur.

5) iure eum Steinthalius 'analogistischen theoretiker' vocat.

Dionys. 730, 22, ubi *Πτολεμαῖος ὁ Περιπατητικός* comparet Dionysii grammatices definitionem impugnans [1]). ceterum in hanc coniecturam, quod ibi Ascalonitam innui putat, quam pro sua vir doctissimus vendit, multo ante iam inciderat Fabricius, in B. Gr. t. III 504 et VI, 157 [2]). quam ut dubiam equidem in medio relinquam. — v. Lersch. Sprachphilos. I, 80. Steinthal. 537.

ceterum *περὶ διαφορᾶς λέξεων* librum quod Suidas Ascalonitae tribuit, Valckenarii amplector suspicionem, qui schedas illas quibus inscriptum est *Πτολεμαίου τοῦ Ἀσκαλωνίτου περὶ διαφορᾶς λέξεων* quas evulgavit Fabric. t. VI 157—163 nonnisi ab recentioris aevi magistello ex Ammonii libro descriptas censet ac Suidam hac ex parte 'recentioris magistri fraude deceptum'; v. Valcken. Praef. in Ammon. p. XXXI; p. 3 n. 12. duas vero Ptolemaei distinctiones quas laudato auctore Ammonius adfert, inter *τρίετες* et *τριετές* et inter *σταφύλη* et *στα-*

1) quid enim? cum ubivis noster *ὁ Ἀσκαλωνίτης* audiat (vel simpliciter *Πτολεμαῖος*), sani num sensus est uno loco ei inauditum cognomen *ὁ Περγαμηνός* praesertim per coniecturam intrudere? atque omnia quae Graefenhanius (t. III p. 38) pro ista re profert, admodum futilia sunt. quod enim inicit, peripateticos a II inde a. Chr. saeculo studiis grammaticis destitisse parum valet ad hunc locum, quippe ubi Ptolemaeus Peripateticus inter Dionysium afferatur et Asclepiadem: referendus igitur est ad exiens II saec. (quod denique in Ascalonitam non male quadret). atque quod paullo post (p. 615, 10) Sextus Ptolemaei definitionis, ubi de Asclepiade sermo est, denuo mentionem iniecit cognomine illo non addito, quid hinc sequetur, praesertim cum Asclepiadem Crateteum fuisse uni Graefenhanio ita certum sit? (cf. Steinthal. p. 538). ad postremum autem Graefenhanius in circulo vitioso versatur.

de certamine illo, grammatica utrum *τέχνη* sit an *ἐμπειρία*, exorto v. quae optime disseruit Steinthalius p. 534 sqq.

2) v. Baehr. in Paulyi ER. s. v. Ptolemaeus 60): „— es ist wohl der bei dem arabischen Schriftsteller Dschemaluddin als Anhänger des Aristoteles bezeichnete Philosoph Ptol., welcher ein Buch über des Aristoteles Leben, Tod und die Folge seiner Schriften abgefasst hatte —“. cf. Bekker. in ind. Sext. Emp. s. v. *Πτολεμαῖος ὁ Περιπατητικός*.

φυλή sine dubio ex Homerica eius prosodia transscripsit. potuit autem eo facilius fraus illa fieri, quod Ptolemaeus inter studia sua prosodica non exiguam operam vocabulis homonymis per accentus spiritusve distinguendis impendit.

X. Aristodemus Eleus [1]).

schol. Pind. Nem. VII, 1: *Ἀριστόδημος δὲ ὁ Ἀριστάρχου μαθητὴς βέλτιον οὕτω φησὶν κτέ.* hic Pindari interpres in scholiis, ubi duodecies eius fit mentio [2]), nudo plerumque *Ἀριστόδημος* nomine adfertur praeterquam quod schol. Isthm. I, 11 vocatur *ὁ Ἀλεξανδρεύς*, quae sane cognominatio cum illa schol. Nem. VII, 1 quam bene conveniat, ultro intellegitur. hunc vero Aristodemum eundem esse atque eum, qui apud Suidam et Harpocrationem audit *ὁ Ἠλεῖος*, recte monuit Boeckhius Praef. scholl. Pind. p. XIV e schol. Ol. XI, 55, 'ubi eximia eius exstat coniectura *Ἄλτιν* pro *Ἆλιν*', id concludens et cl. Suida (cf. Harpocrat.) s. v. *Ἑλλανοδίκαι· τὸ μὲν πρῶτον ἕνα καθίστων Ἑλλανοδίκην οἱ Ἠλεῖοι· εἶτα δύο· τελευταῖον δὲ θ'. Ἀριστόδημος δὲ ὁ Ἠλεῖος τοὺς τελευταίους τιθέντας τὸν ἀγῶνα δέκα εἶναι Ἑλλανοδίκας, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς α'*, cum schol. Ol. III, 22 *περὶ δὲ τοῦ τῶν Ἑλλανοδικῶν ἀριθμοῦ Ἑλλάνικός φησι καὶ Ἀριστόδημος, ὅτι τὸ μὲν πρῶτον β', τὸ δὲ τελευταῖον ι'. τοσαῦται γὰρ αἱ τῶν Ἠλείων φυλαὶ καὶ ἀφ' ἑκάστης εἷς ἦν Ἑλλανοδίκης.* de eodem sermo apud Euseb. chron. 141. Syncell. 196: *ἱστοροῦσι δὲ οἱ περὶ Ἀριστόδημον τὸν Ἠλεῖον, ὡς ἀπὸ εἰκοστῆς καὶ ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος ἤρξαντο οἱ ἀθληταὶ ἀναγράφεσθαι, ὅσοι δηλαδὴ νικηφόροι· πρὸ τοῦ γὰρ οὐδεὶς ἀνεγράφη, ἀμελησάντων τῶν προτέρων, τῇ δὲ εἰκοστῇ ὀγδόῃ τὸ στάδιον νικῶν Κόροιβος Ἠλεῖος ἀνεγράφη πρῶτος, καὶ ἡ Ὀλυμπιὰς αὕτη πρώτη ἐτάχθη, ἀφ' ἧς Ἕλληνες ἀριθμοῦσι τοὺς χρόνους. τὰ δὲ αὐτὰ τῷ Ἀριστοδήμῳ καὶ Πολύβιος ἱστορεῖ* [3]).

1) de Aristodemis v. Mueller. FHG. III, 307 (de nostro 308). Fabric. VI, 359. Voss. hist. gr. I c. 21.

2) Ol. III, 22. VI, 23. XI, 55. 83. Pyth. III, 137. Nem. VII, 1. 56 [e coni. Boeckhii]. 70. 150. Isthm. I, 11. 79. 85.

3) quae utrum ex Olympionicarum *Ἀναγραφῇ* petita sint an

hoc ergo affirmandum erit Aristodemum Pindari interpretem atque Aristarchi discipulum fuisse Eleum [1]. atque insigni ille quidem in Pindaro interpretando versatus est opera. cuius criticum acumen arguit lectio Ἄλτιν pro Ἆλιν prolata [2], Ol. XI, 55; Ol. XI, 83 scripturam Σᾶμος [ὁ] Ἁλιρροθίου sequitur pro inepta σᾶμ' Ἀλ. [3]; item ἐξ ὤπασε pro Aristarchi [4] ἐξώπασε, Isthm. I, 11. nec vero ipsius criticae artis exercendae adeo videtur fuisse studiosus, sed hoc eius interfuisse, ut poetam omni ex parte illustraret. singulas igitur sententias explicat: schol. Ol. VI, 23 [5] ἑπτὰ-πυρῶν (quod generis lytici est: τῶν διαβεβοημένων ἐστὶ καὶ τοῦτο), ab Aristarcho recedens, recte tamen [6]; sed frigide Nem. VII, 70 τρία ἔπεα διαρκέσει (hic quoque a magistro discedens), ac similiter Isthm. I, 85 βραχὺ μέτρον [7]. ad cuiuslibet autem generis ζητήματα solvenda rerum illum notitiam attulisse docent schol. Nem. VII, 1, ubi quaestio,

---

e commentariis Pindaricis, cum Muellero in suspenso relinquo. cf. Boeckh. XV.

1) Vossius, hist. gr. p. 181 Westerm., Baehrius in Paulyi ER., cautius Fabricius l. l., Aristodemum Nysaeensem (cf. schol. *I* 453) priorem (v. Strab. XIV p. 650) propterea quod Menecratis Aristarchi discipuli fuit filius, et ipsum Aristarcheum volunt fuisse et ab schol. Pind. Nem. VII, 1 significari. cuius rei nullum est argumentum. — turbulentior etiam Graefenhanius, II, 42: „Aristodem von Elis oder Nysa, Sohn des Menekrates, der Verfasser von Γελοῖα ὑπομνήματα und einer Μυθικὴ συναγωγή, kommentirte den Pindar"; cf. p. 143, et p. 172: „Aristodem der Aristarcheer, welcher Thebäische Inschriften sammelt."

2) sive per coniecturam scripsit sive alteram e duabus recepit lectionibus (de 'γράφει' v. La Roch. H. T. 76). — Didymus tenuit Ἆλιν.

3) cf. M. Schmidt. Did. p. 223.

4) — οἱ Ἀριστάρχειοι — — Ἀριστόδημος δὲ ὁ Ἀλεξανδρεὺς —: qua in oppositione non offendendum puto.

5) ubi quae exposuit e Boeckhii sententia quae mihi videtur rectissima redeunt in schol. Nem. IX, 53.

6) cf. Boeckh. Expl. p. 155.

7) „passim in τριάδων ratione nugatur Aristodemus . ut ad Nem. VII, 70", Boeckh. ad schol.

cur ab Ilythyia invocata carmen incohaverit poeta[1]); 56 (ubi nomen eius probabiliter a Boeckhio restitutum), cur *παρεκβαίνει εἰς τὰ Νεοπτολέμου*; Ol. XI, 83; Isthm. I, 11[2]) (*διαπορεῖται κτέ.*); Nem. VII, 150, cf. Aristarch. ad v. 70, v. Dissen. Expl. 427. Isthm. I, 79 (de Minyae genealogia). Pyth. III, 137, v. Boeckh. 597. Ol. III, 22. — ceterum nostrum praeter commentarios etiam peculiarem de Pindaro librum composuisse testis est Athen. XI p. 495 F, de quo Boeckh. Praef. l. l.

ad haec, Boeckhium ducem si sequemur, alia accedent eiusdem esse Aristodemi putanda: ille enim vir doctus collatis inter se scholio Ol. VI, 23, ubi illud de septem rogis *ζήτημα* perquiritur ac deinde Niobae liberorum fit mentio, et schol. Eur. Phoen. 159 *Ἀριστόδημος οὐδαμοῦ φησιν ἐν ταῖς Θήβαις τῶν Νιοβιδῶν εἶναι τάφον*, sim. 1119, Eleum his locis et duobus aliis, ubi item de Thebanorum antiquitatibus laudatur testis, schol. Phoen. 1113. 1156 commemorari inclinat ad putandum. quod ut persuasit Bartholdo (De scholl. Eur. fontt. p. 23—25), ita mihi certe non sine probabilitate vir summus videtur statuisse[3]). illos autem locos petitos esse ex Aristodemi libro qui inscriptus fuit *Θηβαϊκά*, patet e Suida s. v. *Τευμησία* [? *Ὁμολώιος Ζεύς*). schol. Apoll. Rhod. II, 904. schol. N 1[4]) (= schol. Paris. Ξ 1 ap. Cram. An. Par. III, 18); qua ab inscriptione falso ortum illud '*Ἀριστόδημος ὁ Θηβαῖος*' schol. Theocr. VII, 103 facile existimo. — ceterum v. Valcken. ad Phoen. 1113.

XI. Menecrates Nysaeensis.

Strabo XIV p. 650: *Ἄνδρες δὲ γεγόνασιν ἔνδοξοι Νυσαιεῖς Ἀπολλώνιός τε ὁ στωικὸς φιλόσοφος —, καὶ Μενεκράτης Ἀρι-*

1) cf. Dissen. 417.

2) cf. Dissen. 484.

3) schol. Theocr. VII, 103 *Ὁμόλας δὲ Θετταλίας ὄρος ὡς Ἔφορος καὶ Ἀριστόδημος ὁ Θηβαῖος, ἐν οἷς ἱστορεῖ περὶ τῆς ἑορτῆς τῶν Ὁμολωίων καὶ Πίνδαρος ἐν τοῖς Ὑπορχήμασιν*: hic Pindarine mentio fluxit ex Aristodemi libro? v. Rankium, Hesych. p. 101. — Thebanum ab Eleo ut plerique seiungit Mueller.

4) quod falso ad Aristodemum Nysaeensem defert Sengebuschius, hom. diss. pr. p. 10.

στάρχου μαθητής —. sed de hoc homine certi nihil habemus compertum; quamquam mentionem eius fieri in scholiis Pindari probabiliter statuit Boeckhius Praef. p. XV: schol. Ol. II, 16. Isthm. IV, 104, propterea quod qui priore illo in schol. comparet Menecrates Artemonem Pergamenum, cum Aristarcho sit oblocutus, vehementer increpat [1]: *Μενεκράτης δέ φησι ληρεῖν τὸν Ἀρτέμονα κτἑ.* (cf. Boeckh. Expl. 120). quod si ita se habet, in Pindari carmina commentarium condidisse noster censendus erit. ac fortasse idem de Nicaeae urbis historia scripsit. nam quae schol. Isthm. IV, 104 e Menecrate produntur, eadem sic affert Tzetzes in Lycophr. 662: *Μενεκράτης ὁ περὶ Νικαίας γεγραφὼς Ἀλκαῖόν φησι πρότερον καλεῖσθαι Ἡρακλέα κτἑ.*; quibuscum cf. Plutarch. Thes. 26: *Μενεκράτης δέ τις, ἱστορίαν περὶ Νικαίας τῆς ἐν Βιθυνίᾳ πόλεως ἐκδεδωκὼς κτἑ.* v. Mueller. FHG. II p. 344 sqq. ceterum ob illam ipsam rem Vossius, hist. gr. p. 468 Westerm. et Westermannus in Paulyi ER. scholia illa Pindarica non Aristarcheo, sed Xanthio Menecrati tribuunt, *Λυκιακῶν* auctori.

XII. Posidonius.

Posidonius grammaticus Aristarchi lector duobus scholiis Ven. A commemoratur: *Z* 511 ab Aristonico et *P* 75 a Nicanore, utroque loco Homeri interpres. schol. *Z* 511 *ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει*] — *Ποσειδώνιος δὲ ὁ ἀναγνωστὴς Ἀριστάρχου ἄνευ διαιρέσεως τὸ ε̅ ψιλῶς προφέρεται, παρέλκειν αὐτὸ λέγων ὡς ἐν τῷ ʽἠὲ σὺ τόνδε δέδεξο᾽, καὶ λύεται τὸ σολοικοφανές* [2]); ubi mireris Aristarchi adstipulatorem idem tenuisse quod Zenodotum, ut soloecismi vitandi caussa *γοῦνα* pro accusativo haberet; quam in pravam opinionem non semel diplen Aristarcho positam constat: schol. *Z* 514. *O* 405. *P* 700. *Σ* 148 (cf. Friedlaend. Arist. 126) [3]). altero loco ipsum Aristarchum Posidonii sententiam recepisse

1) cf. Wegener. Aul. Att. 192. Graefenh. II, 56.

2) eadem ap. Eustath. 659, 25.

3) cf. Duentzer. Zenod. p. 93, qui comparari iubet schol. V ad *O* 241: — *Χρύσιππος δὲ ψιλοῦν τὸ ε̅ ὡς περισσεῦον* —.

Nicanor testatur: — τὸ δὲ ἀκίχητά φασι Ποσειδώνιον τὸν Ἀριστάρχου ἀναγνωστὴν τοῖς ἑξῆς προςνέμειν καὶ τὸν Ἀρίσταρχον ἀποδέχεσθαι [1]).

eiusdem esse Posidonii arbitror [2]) et librum περὶ συνδέσμων excitatum ab Apollonio de conj., Bekk. An. 480, et quae exhibet schol. Apollon. Rhod. II, 106: — κατὰ δὲ Ποσειδώνιον τὸ ὑποκάτω τῶν τοῦ ποδὸς δακτύλων λὰξ καλεῖται · οὕτω γὰρ ἐκεῖνος ἐξηγεῖται καὶ τὸ παρ' Ὁμήρῳ λὰξ π. κ. sed dubito de Et. M. 645, 52 [3]) Ὀψίς: Ὡς μὲν Ποσειδώνιος, παρὰ τὸ ἅπτω, ἅψω, ἁψίς τις οὖσα, ἡ φῶς ἐμποιοῦσα καὶ καταυγάζουσα τῶν ὑποκειμένων ἕκαστα, ὡς πῦρ — quae philosophi [4]) possunt esse ἐτυμολογοῦντος; item de schol. *X* 325, ubi nostrum innui censere inclinat Papius in lex. nom. propr. — ceterum v. La Rochium, H. T. 72. 73.

XIII. Satyrus [5]).

Photius Bibl. cod. CXC p. 151 B: Σάτυρος ὁ Ἀριστάρχου γνώριμος Ζῆτα ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ζητητικὸν αὐτοῦ. de hoc homine ingenue profitendum nil certi constare. in duas enim de eo viri docti discedunt opiniones. nempe per se facile memoria inrepit Satyri philosophi peripatetici βίων illius auctoris Laertio Diogeni et Athenaeo usurpati. qui cum saec. a. Chr. II fere in. floruisse putandus sit, vel ad maximum initio regni Philometoris (v. Laert. Diog. VIII, 40 cl. Suid. s. v. Ἡρακλείδης Ὀξυρυγχίτης), Aristarchi familiaris fuisse, non discipulus potest. et

---

1) quae invertit Eustath. 1096, 14: Ποσειδώνιος δέ, φασιν, ὁ Ἀ. ἀναγν., οὕτω λέγει · σὺ μὲν ὧδε θέεις ἀκίχητα · εἶτα διώκων ἵππους Αἰακίδαο, καὶ τὸν Ἀρίσταρχον ἀποδέχεσθαι κτέ.

2) cum Muellero, FHG. III p. 249.

3) ad Aristarchi lectorem refert Gaisfordus in ind. scriptt., item Bernhardyus in adnot. ad Suid. II, 2, p. 376, 8.

4) Bakii de Posidonio liber mihi non praesto fuit.

5) v. Graefenhan. I, 400; qui et ipse, quantum ex eius silentio conicias, diversum Aristarchi discipulum a peripatetico statuit, cf. eundem II, p. 196.

hoc quidem tenet Clinton, F. H. III, 89 s. a. 160: „— Satyrus was the companion of Aristarchus, who flourished under the sixth Ptolemy —. Phot. cod. CXC —. We must here interpret *γνώριμος* 'companion', not 'disciple'; because Heraclides, whom Satyrus preceded, is also placed in the reign of the sixth Ptolemy —“ [1]). sed aliud contendit Muellerus, FHG. III p. 159. qui hinc profectus, quod Satyri cuiusdam memorantur, ut alia nescio cuius taceam, *μύθων ἀρχαίων* collectio (fr. 22 apud Mueller.) et pagorum Alexandrinorum recensio [2]) (fr. 21), omnino alium qui haec conscripserit ac philosophum esse eundemque atque eum qui a Photio Aristarchi dicatur discipulus [3]) (hunc enim plerumque esse sensum solere, ubi de literatis sermo sit, vocis *γνώριμος*) sibi persuasit. idem censet Westermannus [4]) in Paulyi ER. s. v. Satyrus [5]). — quorum sen-

---

1) cf. Steinhart. Platons Leben, p. 18. Jons. Scriptt. hist. phil. II, 11, 2: „Aristarchi familiaris erat Satyrus —, Peripateticus fuit philosophus —“. Parthey, Das alex. Mus. p. 208: „— Satyrus der Peripatetiker, mit dem Beinamen *ζῆτα* —, ein Zeitgenosse des Aristarch —“.

2) philosopho tribuit Matter Éc. d'Al. I, 161.

3) non absone Muellerus l. l.: „Quod epitheton [*ζῆτα*] bene cadit in laboriosam istam periegetarum de locis eorumque fabulis diligentiam“; nam salvo iudicio quod de hoc tulit K. Lehrsius (Arist. p. 216. qu. epp. 19 sqq.) verissimo, attamen seriorum scriptorum epitheti illius interpretatio, quamvis per se sit prava, aliquid probare potest.

4) qui v. d. quas allegat ipsius quaestt. Demost. IV, 32, hae mihi non praesto fuere.

5) ad diversos accipiendos auctores etiam Zellerus inclinat, Die Philosophie der Griechen II, 2³, p. 931. 932. sed is quo spectans haec dixerit: „[ein Werk worin die Demen Alexandrias aufgezählt waren — und eine Sagensammlung — haben vielleicht einen jüngern Gelehrten,] von dem wir in diesem Fall nicht wissen, ob er gleichfalls Peripatetiker war (denn bei Athen. XIII 556 a kann nur unser Satyrus gemeint sein, welcher auch sonst mit der gleichen Bezeichnung angeführt wird); [zum Verfasser] —“, parum adsequor.

tentia quamquam non certa mihi quoque videtur praeferenda. tum eiusdem Satyri Aristarchi discipuli erunt quae exhibet schol. B. Leid. ad *Ξ* 216 (= schol. *ϑ* 288), quae enstaticam prae se ferunt indolem, e commentario homerico fortasse hausta [1]).

XIV. Dionysodorus Troezenius [2]).

a Didymo ad *B* 111 Dionysodori Alexandrini mentio fit Aristarchi adstipulatoris: *καὶ τοὺς ἀπ᾽ αὐτοῦ* [sc. *Ἀριστάρχου*] *δὲ χρωμένους ἔστιν εὑρεῖν τῇ γραφῇ, Διονυσόδωρον τὸν Ἀλεξανδρέα καὶ Ἀμμώνιον. ἐπιλέγουσι δὲ οὐδέν.* quem Dionysodorum cum iuxta Ammonium Chalcenterus nominet inter proximos Aristarchi discipulos relegabimus. exstat autem felicissima, ut mihi videtur, Schneidewini coniectura, quam proposuit in Praef. Paroemiogr. Gr. p. VII; qua non diversum ab illo Alexandrino Dionysodorum Troezenium [3]) v. d. statuit esse, cuius meminit Plutarchus in vita Arati I: *Διονυσόδωρος δ᾽ ὁ Τροιζήνιος ἐλέγχων αὐτὸν* [sc. Chrysippum] *ἀντεκτίθησι τὴν ἀληθινὴν* [sc. *παροιμίαν*] *οὕτως ἔχουσαν κτἑ.* rectissime enim v. d.: „Illud certe, inquit, sententiae nostrae non officit, quod altero loco Troezenius, altero dicitur Alexandrinus. Natum arbitror Troezene doctorum celebritate et urbis allectum in Aegypto sedem fixisse [4]). Illud autem egregie opinionem meam confirmat, quod Alexandrini grammatici omnino averso erant a Stoicorum philosophorum doctrina animo, cum aemuli ipsorum et adversarii Cratetei Pergameni a Stoicorum principiis proficiscebantur. Hinc non mirandum est, quod Dionysodorus Aristarcheus Stoici Chrysippi

1) Mueller. p. 165: „Ad mythica haec fortasse referenda sunt quae leguntur in schol. Od. *ϑ* 288 et schol. Il. *Ξ* 216. Sed fieri etiam potest, ut data opera Satyrus in Homerum commentarios scripserit."

2) v. Voss. hist. gr. p. 433 Westerm. Bernhardy. adnot. ad Suid. I, 1 p. 1398, 13. Baehr. in Paulyi ER. s. v. Dionysodor aus Alexandr. Graefenh. I, 400. II, 170. 204. Mueller. FHG. II p. 84.

3) idem tacite praesumpserunt Lersch. II p. 57. Graefenhan. I, 400.

4) fuit ergo *φύσει* Troezenius, *ϑέσει* Alexandrinus.

lubidinem castigavit." iam hunc Troezenium Aristarchi discipulum, quem apud Plutarchum proverbium explicantem modo vidimus, inter paroemiographos Schneidewinus refert propter Hesych. *Γλαύκου τέχνη· Διονυσόδωρος τὴν περὶ τὸν σίδηρον κόλλησιν. Γλαῦκος γὰρ Χῖος σιδήρου κόλλησιν εὗρε.* — eundem Apollonius de pron. p. 262 tradit pronomina dixisse *παρονομασίας*: *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ κατὰ τὸν τοῦ Τροιζηνίου Διονυσοδώρου λόγον παρονομασίας κλητέον, ἐπεὶ καὶ ἄλλα ἔν τισι παρονομάζεται κτἑ*[1]). ut fortasse simile atque Tyrannio scripsisse putandus sit opus *Περὶ τῶν μερῶν τοῦ λόγου*, vel tale quid. — praeterea nostro nonnulla, ubi nude Dionysodorus dictus, tribuenda videntur, sicut ab his illis viris doctis sunt assignata: Lucian. *περὶ πταίσματος* c. 10[2]): *καὶ Πτολεμαῖος δὲ ὁ Λάγου, Σελεύκῳ ἐπιστέλλων, σαφῶς ἀνέστρεψε τὴν τάξιν —· ὡς Διονυσόδωρος, ὁ τὰς ἐπιστολὰς τοῦ αὐτοῦ συναγαγών, φησιν.* schol. Eurip. Hippolyt. 123[3]): *ἢ ὅτι περὶ τὴν Τροιζηνίαν τοιαύτη τίς ἐστι πέτρα, ἐξ ἧς τὸ καταφερόμενον ὕδωρ βάπτει τὰς ὑδρίας, ὡς Διονυσόδωρος ἐν τῷ περὶ ποταμῶν φησι.* schol. Eur. Rhes. 508[4]): *ὁ γοῦν Διονυσόδωρος ἐν τοῖς παρὰ τοῖς τραγῳδοῖς ἡμαρτημένοις φησὶν οὕτως· κτἑ.* — dubitanter adicio Laert. Diog. II, 42[5]): *Διονυσόδωρος δέ φησι μὴ εἶναι αὐτοῦ* [sc. Socratis] *τὸν παιᾶνα.* schol. Apollon. Rh. I, 917 de Cabiris[6]). — quae omnia si vere nostro assignata erunt, satis variis in generibus studia hominis versata esse agnosces.

XV. Ptolemaeus Euergetes II Physco[7]).

Ptolemaeus Euergetes II Aegypti rex ab Athenaeo diserte Aristarchi discipulus dicitur II, 71 B: *Πτολεμαῖος δ' ὁ Εὐερ-*

---

1) Dionysodorum contra Apollonium tuentur Lersch. II, 57. 58. Steinthal. 573.

2) Graefenhan. II, 170. Schneidewin. l. l.

3) Mueller. l. l.

4) Vater. Rhes. VII. Dindorf. ad l. Barthold. p. 6 n. 1.

5) ad Dionysodorum Boeotum trahit Voss. l. l.

6) Lobeck. Aglaoph. p. 1221. Schneidewin. l. l. Mueller. l. l.

7) v. Voss. hist. gr. p. 175 Westerm. Fabric. V, 296. Matter.

γέτης, βασιλεὺς Αἰγύπτου, εἷς ὢν τῶν Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ μαθητῶν [1]) κτέ.; cf. Suid. s. v. Ἀρίσταρχος: — γέγονε δὲ κατὰ τὴν ρνς' Ὀλυμπιάδα, ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλομήτορος, οὗ καὶ τὸν υἱὸν ἐπαίδευσεν. cuius disciplinae uno, si dis placet, vestigio gaudemus; leguntur enim apud Athen. II, 61 C: — διὸ καὶ Πτολεμαῖος ὁ δεύτερος Εὐεργέτης, Αἰγύπτου βασιλεύσας, παρ' Ὁμήρῳ ἀξιοῖ γράφειν· 'Ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ σίου, ἠδὲ σελίνου'. σία γὰρ μετὰ σελίνου φύεσθαι, ἀλλὰ μὴ ἴα. [2]) cf. Eustath. ad Od. p. 203.

XVI. Dionysius Sidonius.

Dionysium Sidonium [3]), quem inter Homeri interpretes referre antea satis habitum [4]) postquam recte Beccardus (p. 61. 62) Ammonii et Dionysii Thracis aequalem statuit fuisse [5]), suo iure Sengebuschius (hom. diss. pr. p. 30) ipsorum Aristarchi discipulorum numero inseruit [6]), cui assensum praebuit La Roche H. T. p. 71. huc enim ducit gravissimum Didymi testimonium ad *T* 365 ἀθετοῦνται στίχοι τέσσαρες· — ὁ δὲ Σιδώνιος ἠθετηκέναι μὲν τὸ πρῶτόν φησιν αὐτοὺς τὸν Ἀρίσταρχον, ὕστερον δὲ περιελεῖν τοὺς ὀβελοὺς ποιητικὸν νομίσαντα τὸ τοιοῦτο. ac-

I, 164. Graefenhan. I, 373. 396. II, 37. Mueller. FHG. III, 186 sqq. La Roch. H. T. 68.

1) v. M. Schmidt. Did. 333.

2) Mueller. 189: „Haec num ex Ὑπομνημάτων libris an alio ex scripto fluxerint, in medio relinquimus." — Graefenh. II, 37: „— und die gegebene Lesart kann eine Reminiszens aus der Schulstube des Aristarch sein."

3) haec plena appellatio non legitur nisi his ll.: schol. *B* 262. *Z* 465. *M* 36. Eustath. 1410, 60. Et. M. 783, 20. sed plerumque simpliciter vocatur ὁ Σιδώνιος.

4) v. Villois. Prol. Il. p. XXIX, Apollon. lex. hom. p. XXI. Harles. ap. Fabric. I, 511 . VI, 379. Sturz. ad Et. M. 124, 15. Baehr. in Paulyi E. R. s. v. Dionysius f).

5) cf. Osann. quaestt. hom. IV p. 12.

6) ita re vera iam Lehrsius, Ar. 362 n.

cedit schol. *κ* 329 *σοὶ δέ τις*] *ὁ Σιδώνιός φησιν ἀθετεῖσθαι τὸν στίχον.* nec minimi momenti hoc, quod analogiae Sidonius inter principes studiosus fuit: in quam dedita opera eum inquisivisse Varronis loco evincitur De l. l. X p. 162: „— nam alii de omnibus universis discriminibus posuerunt numerum, ut Dionysius Sidonius, qui scripsit eas [sc. declinationes verborum] esse septuaginta unam, alii partis eius, quae habet casus: quoius idem hic quom dicat esse discrimina quadraginta septem, Aristocles rettulit in literas quattuordecim, Parmeniscus octo, sic alii pauciora aut plura.“ — neque ille regulam ubique cum teneret magistrum acerbe castigare verebatur, v. Herodian. ad *Γ* 128 *ὅθεν* [1]) *Σιδώνιος μέμφεται Ἀριστάρχῳ μὴ ἐγκλιτικῶς ἀναγνόντι τὸ ʻπρόσθεν ἔθεν φεύγονταʼ· ἡ γὰρ διάνοια ἁπλῆν αἰτεῖ τὴν μετάληψιν.* [2]) (cf. La Roch. H. T. p. 236). adde quod *αἰδώ* volebat contra quod Aristarchus *αἰδῶ*: Herodian. ad B 262. cf. Lehrs. Ar. 260. La Roch. H. T. 181. Steinthal. 478.

iam Sidonium commentarios in Homerum composuisse probabiliter Beccardus coniecit: unde sine dubio quaecumque eius exstant sententiae in scholiis, apud Apollonium sophist., Etymologum, Eustathium possunt fluxisse. [3]) e quibus quantum videre licet, in crisi plerumque ille Homero adhibenda versatus est. (quam curam La Roche perstrinxit l. l.) scribit autem noster cum Aristarcho *κατὰ δαῖτα* *A* 424. *Ἀτρείωνος* *B* 192; sed plerumque dissentire ab illo proditur, cum scribat: *σφωϊ* *A* 8 [4])

---

1) sc. propter regulam de *ἕθεν* positam, *ὅτι εἰ μὲν εἰς ἁπλῆν μεταλαμβάνοιτο, ἐγκλιτικῶς ἀναγινώσκειν δεῖ, εἰ δὲ εἰς σύνθετον, ὀρθοτονητέον.*

2) cf. Lehrs. qu. epp. p. 120: „neque tamen ideo verebatur [sc. Aristarchus] discedere et scribere *πρόσθεν ἕθεν φεύγοντα*, sine dubio propter adverbium praepositioni simile. At quam illi Analogetici, qui non modice sequebantur analogiam (cf. Arist. p. 259), omnia disperdidissent, (in Sidonio autem hanc haerere culpam etiamnunc fragmenta quamvis pauca docent), hic etiam videmus“.

3) peculiarem Sidonii de athetesibus exstitisse librum suspicatur La Roche H. T. p. 108.

4) cf. Friedl. Ariston., Dind. ad h. l. La Roch. 357.

(falso σφωε exhibet La Roche l. l.). ὅττι θέλησθα *Α* 554[1]). ἐπήν κε *Η* 5.[2]) οἷα ῥα (? οἷ' ἄρα. La Roche in adnot. cr.) *Θ* 177. πῆξε *Ξ* 40[3]). Κυνωρίωνος *Χ* 29. στεναχῶν *Α* 364 (cf. Lehrs. Ar. 315. La Roch. 351). δάμνησι *Ε* 746. cf. Et. M. 247, 12 (v. La Roch. 221). παρῇα *Γ* 35. (cf. La Roch. 332. 333). apud Apollon. soph. 77, 2 athetesin Aristarchi v. *Δ* 117 impugnat. — coniecturam fortasse ausus est *Ω* 557 πρῶτ' ἐλέησας. *Ζ* 465 legisse cum aliis traditur πρίν γέ τι.[4]) — ad prosodiam spectant schol. *Β* 262. Eustath. 1410, 60 (= Phavorin. ecl. p. 218). — interpretis autem nostrum munere fungentem produnt schol. *Μ* 36 (ubi casus ἐναλλαγήν ab Aristarcho statutam improbat). *Ο* 229 (cf. Eustath. 1017, 33). Apollon. lex. s. v. ἰββάλλειν, ad *Τ* 79. schol. *λ* 379, ubi Aristarcho obversatur.

praeterea Pindarum noster commentariis illustravit (v. Boeckh. Praef. scholl. Pind. p. XVI), e quibus tamen unum tantum certum exstat fragmentum: schol. Pyth. I, 172 πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροισι] τῷ τε ἀληθεῖ καὶ τῷ ψευδεῖ· ἢ σοὶ καὶ τῷ υἱῷ. ὁ δὲ Σιδώνιος σοὶ καὶ τοῖς ὑποτεταγμένοις; primam harum interpretationum praefert Boeckhius, Explicc. p. 238. eidem nostro Boeckhius tribuit quae sub nudo Dionysii nomine afferuntur schol. Pyth. I, 109.

locum denique ascribo quo quid faciam non habeo: Et. M. 783, 20 Ὑποπτέρων ὀνείρων· Διονύσιος ὁ Σιδώνιος πρῶτος ταύτῃ τῇ ἐπιβολῇ ἐχρήσατο, ᾗπερ χρῶνται οἱ γραμματικοί, ὡς τύμβος τυμβίδιος, παῦρος παυρίδιος, [σχίδος] σχίδιος· πτερόν, πτερίδιον. Ἐχρῆν οὖν εἰπεῖν καὶ τῶν ὑποπτέρων ὀνείρων τῶν ὑποπτεριδίων ὑπερθέσει τῶν ὑποπετεριδίων. Οὕτως Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ περὶ Παθῶν. v. Hasium in Thes. s. v. ὑπόπτερος: „Ὑποπτέρων vel

---

1) cf. La Roch. 285.

2) cf. La Roch. 294.

3) cf. Eustath. 966, 16.

4) praeterea quod exhibet Beccardus schol. *Σ* 576, in eo nude Διονύσιος legitur; hoc autem et scholl. *Ο* 571 (v. Lehrs. Ar. 8. Friedl. Arist. 7). 656. *Π* 170 Thraci assignat M. Schmidt, Philol. VII, 378 (quem omnino de his v. praes. p. 374); dubius idem de scholl. *ο* 31. *π* 239 (p. 373), quae ad nostrum defert La Roche l. l.

Ὑποπτεριδίων ὀνείρων (ex poeta aliquo, ut videtur) in gl. confusa et defecta Etym. M. p. 783, 20, ubi Herodianus opinionem Dionysii Sidonii *ὑποπτεριδίων* probantis impugnare videtur. de quo loco non satisfaciunt Lobeckii coniecturae Pathol. p. 357 —".

XVII. Parmeniscus.

Parmeniscus grammaticus, cuius in complures scriptores exstitisse commentarios constat, quamquam certo de eo testimonio caremus, inter Aristarchi discipulos a viris doctis iure relatus est: nam librum *πρὸς Κράτητα* composuisse a Didymo traditur lectionisque Aristarcheae testis adfertur schol. *Θ* 513 *Παρμενίσκος ἐν τῷ ά πρὸς Κράτητα*[1]) *ὡς Ἀριστάρχειον γραφὴν προφέρεται κεῖνων.* — v. Graefenhan. t. I, 399. 401. 417. Westermann. in Paulyi ER. s. v. Sengebusch. hom. diss. pr. p. 30. La Roch. H. T. p. 75.

atque in Homeri quidem carminibus Parmeniscus et criticam et interpretatoriam posuit operam eamque quae non contemnendum hominis prodat ingenium. magistri ille simpliciter lectionem tradidisse a Didymo exhibetur, ut dixi, *Θ* 513, item procul dubio *Ι* 197 *Παρμενίσκος δὲ προφέρεται ἱκάνετον ἡμέτερόνδε.* (v. M. Schmidt. Did. p. 136). nec tamen aut in rebus prosodicis aut in accipiendo sensu ab illius desistere placitis dubitabat. ut *Ε* 638 *οἷον* praeoptavit pro Aristarchi *οἶον*, sim. *δ* 242; *Ξ* 249 *ἄλλοτε ῇ* pro illius *ἄλλο τεῇ*; *Σ* 100 ita legit: — *ἐμεῖο δ' ἔδησεν Ἄρης ἀλκτῆρα γενέσθαι*[2]), cum aliter et legisset et interpretatus esset Aristarchus (cf. Et. M. 138, 11).

---

1) quode cur dubitet Bartholdus (De Eur. scholl. fontt. p. 16 n. 1) atque 'commentarios homericos illic indicari' censeat, equidem non assequor, praesertim cum diserte primus liber eius scripti excitetur.

2) hoc enim evadit e paraphrasi *ὁ δὲ πόλεμος τὴν ἐμὴν ἀφελόμενος πανοπλίαν ἔδησέ μου τὴν ἔξοδον, ὥςτε ἀλκτῆρα μὴ γενέσθαι Πατρόκλου.* quapropter lacunosa arbitror antecedentia verba et sic fere restituenda: *Παρμενίσκος μὲν οὖν βαρυτόνως ἐκδεχόμενος τὸ Ἄρης καὶ τρισύλλαβον τὸ ἔδησεν κτέ.*

Λ 424 *πρότμησις* quid sit et unde ductum explicat. cf. Eustath. p. 854. praeterea mentio eius fit a Nicanore ad *Σ* 514, ubi *ἐφεσταότες* non posse ad *τέκνα* et *ἄλοχοι* referri autumat et cum sequentibus, quod ferri nequit, iungendum.

aliam autem atque Homerica prae se ferunt indolem Parmenisci studia Euripidea, quantum quidem e paucissimis eorum reliquiis — sexies enim ille in scholiis commemoratur — dignosci potest. in his enim rerum magis, antiquitatum, locorum, rerum naturalium, quam verborum invenitur scrutator. sic schol. Rhes. 529 Crateti obversatur in astronomicis [1]); de geographicis agit schol. Troad. 221. 228; inter Euripidis cavillatores [2]) comparet ob historiam male detortam schol. Med. 10. 273, hoc loco a Didymo reprobatus. uno loco, schol. Rhes. 521 de vocabulo sententia eius affertur, *προταινί* lexin boeoticam arbitrantis. ceterum de studiis eius Euripideis [3]) v. quae apte dicit Bartholdus p. 12. 13. 16. 17. — iam ad schol. Troad. 228, ubi de duobus Crathidibus fluminibus homonymis eius testimonium apponitur, adnectenda sunt quae similia affert Steph. Byz. s. v. *Ἄλος· — δύο δὲ Παρμενίσκος Ἄλους ἱστορεῖ κτἑ.*, v. *Ἐφύρα*, v. *Φθία*. atque in his eum Aristarchi fuisse pedissequum Schimbergus ostendit, Analecta Aristarchea, p. 8. 9. 22. — Arati interpres Parmeniscus agnoscitur apud Hyginum Astron. II, 2. 13; v. Bunteum, Proleg. Hygin. Astron. p. 5; qua cum re concinit, quod etiam schol. Eur. Rhes. 529, ut vidimus, astronomiae studiosus proditur. — ad peculiarem denique de grammatica librum videtur referendum, quod Varro, De l. l. X, 162 — de quo loco paullo ante dictum — inter alios analogeticos, qui nominum declinationis statuerint canones, nostrum affert atque in literas octo eos rettulisse tradit. cf. Steinthal. p. 511.

1) quae utrum ex libro *πρὸς Κράτητα* profluxerint, quae est sententia Osanni, An. Rom. p. 98, et C. Wachsmuth, De Cratete Mall. p. 7, an e commentariis Euripideis, id quod probat Bartholdus p. 16 n. 1, discerni vix poterit.

2) v. M. Schmidt. Did. p. 281.

3) aliis quoque tragicis operam eum dedisse, etiamsi per se haud improbabile, non constat; cf. Graefenhan. t. II p. 42.

XVIII. Apollonius.

unum e multis huiusce nominis hominibus[1]) Aristarchi fuisse discipulum M. Schmidtii acumen indagavit, Did. p. 285. ibi enim V. S. cum de scholiorum in Aristophanem fontibus verba faciat ita loquitur: „Τὰ ἐπιγεγραμμένα Ἀπολλωνίου sc. ὑπομνήματα (schol. Avv. 1242) exemplo esse possunt id genus saluberrimo. Mihi enim perquam simile veri videtur, hunc Apollonium, non Rhodium, sed aliunde ignotum hominem, unum e quadraginta Aristarchi discipulis fuisse, cuius qualescunque observationes in hypomnemate aliquo literis mandaret[2]).“ quam in rem ab illo observatam nunc paullo accuratius mihi liceat inquirere.

atque ut ab eodem schol. (Av. 1242) quo ille v. d. nixus suo iure id contendit, ordiamur, verba quae ibi antecedunt animadvertenda sunt; leguntur enim haec: ἐν δὲ ἐνίοις τῶν σχολικῶν ὑπομνημάτων ταντὶ γέγραπται —, ut appareat hos Apollonii commentarios ἐνίοις illis opponi eosque et ipsos σχολικῶν ὑπομνημάτων notione comprehendi. Apollonius ergo sicut alii secundum ea, quae ex Aristarchi magistri ore pendens auribus perceperat, vel in suum vel plurium in usum commentarios condiderat. (v. Lehrs. Ar. 19 sqq. M. Schmidt. Did. 283). — at is non unus est locus, unde Apollonium istum Aristarchi fuisse discipulum coniciamus, verum nonnulli sunt — quorum plerosque M. Schmidtius enumerat —, et hi quidem omnes in scholl. Ranarum exstantes, quibus idem efficitur; alii autem sunt, ubi eiusdem fieri mentionem grammatici veri est simillimum. — ac primum proponam schol. Ran. 357 μήτε Κρατίνου]. πρὸς τοὺς περὶ Ἀρίσταρχον οἰομένους, ὅτι ταῦρος ἦν αὐτοῖς

1) de his v. Meurs. bibl. Att. in Gronov. Thes. t. X p. 1234 sqq. Voss. hist. gr. 1, 23. Jons. scriptt. hist. philos. 3, 7. Fabric. IV, 272—279.

2) hoc non perspexerat O. Schneider, in egregio libello De vett. in Arist. scholl. fontt. p. 89, nec tamen adeo ut non videret propter scholl. Ran. 1437. 1124. 1270 non posse de Apollonio Rhodio cogitari, eum tamen significari schol. Av. 1242 concedit, male. ceterum de hoc, de quo agitur, Apollonio certi nihil statuit.

τὸ ἔπαθλον —[1]); comparandum cum altero schol. (quod in V solo legitur) s. f.: Ἀπολλώνιος δέ φησι ταυροφάγον τὸν Διόνυσον ἀπὸ τῶν διδομένων τοῖς διθυράμβοις [leg. διθυραμβοποιοῖς?] βοῶν. in illa priore huius scholii parte, quamquam ne nunc quidem integra sanaque legi[2]) existimo: hoc tamen satis significatum Aristarchum ταυροφάγος epitheton Cratini inde petivisse, quod dithyramborum conditores bubus donari solebant. cui opinioni alii oblocuti sunt: εἴρηται δὲ παρὰ τὸ Σοφοκλέους ἐκ Τυροῦς 'Διονύσου τοῦ ταυροφάγου', scilicet urguebant ταυροφάγος alioquin Bacchi esse epitheton, ut in eo Sophoclis loco, atque hinc Aristophanem ad Cratinum transtulisse[3]). duas istas sententias Apollonius, si quid video, cum pacare inter se studeret, Aristarcheam interpretationem, quae ad Cratinum pertinebat, ad ipsum Bacchum valere voluit. temere ille quidem[4]); nec tamen non propagatam esse eius opinionem ostendunt Suid. s. v. ταυροφάφον[5]) (= Phot. s. h. v. Et. M. s. h. v.) et Apollon. lex. p. 156, 20. ceterum Aristarchi opinioni favet Fritzschius, Comm. in Ran. p. 191. 192, et post eum Gerhardus, De Aristarcho Aristophanis interprete p. 22; alteri vero Kockius adn. ad h. l.

---

1) cf. Suid. s. v. ταυροφάγον, II, 2 p. 1045: τοὺς περὶ Ἀρίσταρχον οἰομένους ὅτι ταῦρος ἦν αὐτοῖς τὸ ἔπαθλον, φασὶ ψεύδεσθαι —.

2) cum Bernhardyo, qui ad Suidae l. haec adnotat: „in his libri scholiorum nullam ostendunt probabilem scripturam nisi οἰομένους. Neque Dobraei coniecturam πρὸς τοὺς π. Ἀ. opinor ad resarciendas Scholii parietinas satis valere", mutila haec esse ut putem, illo αὐτοῖς praesertim moveor; quonam enim id referendum? an ad βακχεῖα, quod legitur in poetae versu?

3) qua id ratione factum putabant, hoc potius intercidisse in eo enuntiato crediderim et sequentia recte se habere quam emendanda cum Fritzschio (qui omnino uberrime de h. sch. disseruit Comm. in Ran. 191. 192): 'καὶ ὅτι φίλοινος ἦν, διὰ τοῦτο ἐπίθετον τοῦ Διονύσου αὐτῷ περιτιθέασιν' (ἢ ὅτι φίλοινος ἦν, καὶ διὰ τοῦτο κτέ. libri).

4) v. Fritzsch. p. 192. Gerhard. diss. mox laudandae p. 22.

5) probabiliter emendatus a Fritzschio l. l.

ab Aristarchi partibus stare Apollonium duo loci arguunt, ubi etiam arcte coniuncta eorum nomina leguntur. sunt schol. Ran. 1124 *ἐξ Ὀρεστίας*] — *Ἀρίσταρχος καὶ Ἀπολλώνιος τριλογίαν λέγουσι, χωρὶς τῶν σατυρικῶν*, et 1270 *κύδιστ' Ἀχαιῶν*] *Ἀρίσταρχος καὶ Ἀπολλώνιος, ἐπισκέψασθε πόθεν εἰσί* [1]). — sequatur quod summi est, si recte accipio, ad hanc rem stabiliendam momenti, schol. Ran. 1437 *εἴ τις πτερώσας Κλεόκριτον Κινησίᾳ*] — *ἀθετεῖ δὲ τοὺς πέντε ἐφεξῆς στίχους ἕως τοῦ 'ῥαίνοιεν εἰς τὰ βλέφαρα τῶν ἐναντίων' Ἀρίσταρχος. ὅτι φορτικώτεροί εἰσι καὶ εὐτελεῖς, διὰ τοῦτο ὑποπτεύονται. Ἀπολλώνιος δὲ οὐ διὰ τοῦτο, ἀλλ' ὅτι οὐ πρὸς τὴν ὑπόθεσιν ἔχουσί τι. ἐρομένων δὲ αὐτῶν ἑκάτερος μίαν γνώμην λέγει.* Aristarchus igitur vv. 1437—1441 ut spurios notaverat [2]) (itemque vv. 1452. 1453 [3])), cuius atheteseos cum nimis vaga atque generalis ratio addatur [4]), accuratiorem planeque rectam indicavit Apollonius [5]). qua vero re certius nobis persuadebitur

1) de ista dicendi formula v. Gerhard. p. 40. Fritzsch. p. 381. cf. Bernhardy. Hist. Lit. Gr. II, 759.

2) cf. schol. 1440 — *ταῦτα δὲ ἠθετημένα μετρίως ἄν τις νομίσειεν ἐνδιεσκευάσθαι. καὶ γάρ ἐστι φορτικά.*

3) neque enim satis esse quae praebet schol. 1452 *συναθετεῖται τοῖς ἄνω καὶ οὗτος, μένων γὰρ ἀκυροῖ τὴν ἐκείνων ἀθέτησιν* — rectissime intellexit Fritzsche (p. 436. 437), quapropter censet legendum: *συναθετεῖται* — *καὶ τοῦτο* (sc. vv. 1452. 1453), *μένον γὰρ κτέ.*

4) errare puto, qui aliam ob caussam Aristarchum locum confodere, aliam Apollonium existimat, Conzium: „Aristarchus illos versus repudiavit tamquam indignos festivo Comici ingenio, quae caussa levissima est, Apollonius, quod nexum turbarent nec ipsi inter se bene iuncti essent, quae gravior ratio est“: cui nimirum opinioni tota obloquitur h. l. dicendi ratio.

5) ceterum Apollonii illa verba parum recte exhiberi in h. schol. Fritzschius cum perspexisset, *αἱρομένων* pro *ἐρομένων* proposuit scribendum, quo ne ipso quidem mihi fateor satis fieri. ego altius depravatam loci scripturam iudico et sic fere velim legi: — *ὅτι οὐ πρὸς τὴν ὑπόθεσιν ἔχουσι τὴν εἰρημένην* (scil. v. 1435 *'ἀλλ' ἔτι μίαν γνώμην ἑκάτερος εἴπατον'*), *δι' ἣν* (?) *αὐτῶν ἑκάτερος μίαν γνώμην λέγει.*

aliquem Aristarchi esse discipulum, quam hac, quod si summus grammaticus quem locum obelo notaverit, cur notaverit, ille atque accurate quidem ac recte nobiscum communicat [1])? — uno loco dissentientem a magistro nostrum deprehendimus ac deteriori iudicio addictum, schol. Ran. 420 *ἐν τοῖς ἄνω νεκροῖς*] *οὐχ ὡς Ἀπολλώνιος πρὸς τὴν ἐξήγησιν τοῦ* [*τὴν* codd., em. Fritzsche] *'εἰ μὴ νεναυμάχηκε τὴν περὶ τῶν κρεῶν', ὅτι* [2]) *διὰ τὴν κακοπραγίαν νεκροὺς τοὺς Ἀθηναίους λέγουσι· ψυχρὸν γάρ· ἀλλὰ κτἑ.* iam versus est ille, ad quem recurrit hic Apollonius, 191, in quo duas fuisse lectiones schol. docet, unam genuinam certe atque ab Aristarcho defensam [3]) *τὴν περὶ τῶν κρεῶν*, alteram *τ. π. τ. νεκρῶν* [4]). et hanc quidem scripturam et ipsum nostrum amplexum esse e schol. 420 prorsus apparet, pro qua falso legi *κρεῶν* recte iam Kusterus perspexit. quam autem hic interpretationem illius versus ad hunc (420) explicandum noster afferre dicitur (*πρὸς τὴν ἐξήγησιν τοῦ* —), sane concluditur ea his schol. in v. 193 verbis: *ἢ εἴη ἂν λέγων νεκροὺς τοὺς Ἀθηναίους, διὰ τὸ ἐσχάτως τότε πράττειν* [5]).

his locis omnibus absque dubio unum eundemque Apollonium Aristarchi discipulum Aristophanis interpretem invenimus. verum est quod de aliis quoque nonnullis scholiis idem statuamus. optime enim monuit M. Schmidt. l. l. p. 286, cum Aristophanis Byzantii in cognominem Comicum observationes per eius discipulos et inprimis per Callistratum, principem inter illos, scholiastis innotuisse constet, non temere fieri, quod et Callistratum et Timachidam Aristophaneos et illum Apollonium aliquibus locis obloquentes inter se videamus. quod spirat schol. Ran. 1270 etiam supra allatum *κύδιστ' Ἀχαιῶν*] *Ἀρίσταρχος καὶ Ἀπολλώνιος, ἐπισκέψασθε πόθεν εἰσί. Τιμαχί-*

---

1) v. Steinthal. Sprachwiss. p. 448.

2) *ἀλλ' ὅτι* Ald., *ἀλλ'* recte omisit R; minime opus est *οὐδὲ ὅτι* quod volunt Bekker Fritzsche.

3) — *διάφοροι αἱ γραφαί· οἱ μὲν γὰρ κρεῶν, ὡς Ἀρίσταρχός φησιν κτἑ.*

4) quam tenebat Demetrius Ixion: v. Phot. p. 177, 3. — totum locum diligentissime tractavit Fritzsche p. 123.

5) hoc ostendit Fritzsche p. 127. cf. Gerhardum p. 29.

δας δὲ ἐκ Τηλέφου Αἰσχύλου κτἑ. inprimis autem huc pertinent schol. Ran. 791 *Κλειδημίδης] Καλλίστρατος ὅτι ἴσως Σοφοκλέους υἱὸς οὗτος. Ἀπολλώνιος δέ, ὅτι Σοφοκλέους ὑποκριτής.* 849 *ὦ Κρητικὰς μὲν] — Ἀπολλώνιος δέ, ὅτι δύναται καὶ εἰς τὴν Ἀερόπην τὴν ἐν ταῖς Κρήσσαις εἰρῆσθαι· ἣν εἰσήγαγε πορνεύουσαν — Τιμαχίδας δέ, διὰ τὴν ἐν τοῖς Κρησὶ μῖξιν Πασιφάης πρὸς τὸν ταῦρον —.* 1294 *τὸ συγκλινὲς ἐπ᾽ Αἴαντι] Τιμαχίδας φησὶ τοῦτο ἐν ἐνίοις μὴ φέρεσθαι. Ἀπολλώνιος δέ φησιν ἐκ Θρησσῶν αὐτὸ εἶναι.* Pac. 1126 *Ἐλύμνιον] Καλλίστρατός φησι τόπον Εὐβοίας τὸ Ἐλύμνιον. Ἀπολλώνιος δὲ ναόν φησιν εἶναι πλησίον Εὐβοίας.*

his locis non dubito addere alios paucos, ubi eiusdem Apollonii mentionem fieri existimo, ad eundem Aristophanem interpretandum pertinentes. sunt autem hi: schol. Ran. 1338 *ἀλλά μοι ἀμφίπολοι] Ἀπολλώνιος παρὰ τὸ ἐκ τῶν Τημενιδῶν.* 963 *κωδωνοφαλαροπώλους] Ἀπολλώνιός φησιν ὅτι παρήνεγκε χρωμένους κώδωσί τινας.* 501 de verbis *οὐκ Μελίτης* prudenter disputat noster[1]). Pac. 363 *Ἀπολλώνιος δὲ ὄνομα μὲν αὐτῷ φησιν εἶναι Ἀχαιὸν παρωνύμως Κιλλικῶντα, τὸ γένος Μιλήσιον*[2]). ceterum duos postremos quos attuli locos aequo fortasse iure Apollonio Chaeridis (v. Schneider. Ar. scholl. fontt. p. 92), de quo statim dicam, quispiam imputaverit. denique eiusdem Apollonii mentionem M. Schmidt (Did. 291) coniectando neque id sine veri specie elicuit e schol. Plut. 550, quem locum ab aliis aliter emendatum sic restituit: *καὶ Ἀπολλώνιος σαφέστερον οἶδεν [ἢ] κατά (γε) Δίδυμον.*

hactenus omnia quantum scio huius Apollonii artis interpretatoriae in Aristoph. scholl. fragmenta perlustrata sunt; neque omnino aliunde quidquam de hoc grammatico mihi innotuit. nam qui restant in scholl. Aristoph. loci, ubi Apollonius nullo addito epitheto nominatur[3]), schol. Plut. 108. Ran. 849.

1) v. Fritzch. p. 215 sqq.

2) cf. Hesych. s. vv. *Κιλλικῶν. Δημοκλεῖδαι.* Phot. s. v. *Κιλλικῶν.* et v. omnino Mueller. FHG. II, 334.

3) sunt ad summam 17, quantum fides Dindorfiani s. Duebneriani indicis. quorum editorum uterque toti huic indicis articulo post *Ἀπολλώνιος* nomen *ὁ Δύσκολος* uncis inclusum temere praefixit.

Equ. 22, hi tres, cum ad res prosodicas pertineant, Dyscoli [1]) videntur esse [2]).

---

1) schol. Equ. 22 etiam Apollonium iuxta Herodianum habes nominatum: — ὅπερ ὁ μὲν Ἀπολλώνιος ὀξύνει, ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς βαρύνει. — cf. Schneider. p. 89: „in quorum [sc. locorum ubi citatur Apollonius] uno alterove si quis de Dyscolo cogitare velit, non magnopere refragabor.“

2) his de Apollonio dictis pauca subnectere mihi liceat de Apollonio Chaeridis filio, quem in ista disputatione tetigit O. Schneider p. 89 haec addens: „num diversus ab hoc [sc. Apollonio τῷ Χαίριδος] is sit, qui in scholiis Ranarum potissimum citatur, dubito“. (Ἀπολλώνιος ὁ Χαίριδος quae unice legitur schol. Vesp. 1239, veram nominis esse formam primus vidit Villoiso, Proleg. Il. XXIX, cf. Prol. Apollon. soph. XX; pro ea ὁ Χάριδος legebatur duobus ll. Apollonii lex., item schol. Γ 448, ubi correxit Cobetus; deteriorem etiam praebet nescio unde haustam Voss. hist. gr. IV, 3: „— item Ἀπολλώνιος ὁ Χαίρωνος, citatus Aristophanis scholiastae in Vespas“.) commemoratur hic Apollonius ὁ Χαίριδος schol. Ar. Vesp. 1239. schol. Γ 448. Apollon. lex. s. vv. φήνη. Ὦπος. commentarium eum in Iliadem composuisse praeter schol. Γ 448 et Apollon. s. v. φήνη clarissime inprimis elucet ex eodem s. v. Ὦπος: Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Χαίριδος γενόμενος ἐπὶ τοῦ· [de ista formula v. M. Schmidt., Philol. VIII p. 248] Ἐὐρύκλει', Ὦπος θυγάτηρ' φησὶ κτέ. — iam illum quod ὁ Χαίριδος audit, viri docti plerique propensi fuerunt ad Chaeridis noti illius grammatici filium ducendum (v. praeter Villois. ll. ll. Graefenhan. t. II p. 118. p. 49); quamquam talem locutionem constat etiam de patre nec non de discipulo accipi posse (v. Schneider. l. l., qui conferri iubet, quae uberius hac de re disputavit Jons. Scriptt. hist. phil. I, 2, 5), et hoc concedendum non prorsus de noto illo Chaeride cogitandum esse (v. Ahrens. Bucol. gr. rell. II, XXXI). sed tamen in illo ut acquiescamus — videtur enim haec probabilior esse ratio —, hoc in manifesto est ita hunc ut Chaeridis, ut mea quidem fert sententia, Aristarchi discipuli, aut certe Aristarcho paullo serioris, filium cum illo, ipse qui fuerit Aristarchi discipulus, confundi minime posse. ceterum, si quid aliud certiores de homine nos faciat, circumspicientibus offertur schol. Ar. Vesp. 1239 iam supra allatum: Ἀδμήτου λόγον] καὶ τοῦτο ἀρχὴ σκολίου — Ἡρόδικος [„legebatur

restat, ut paucos quos Aristarchi in contubernio fuisse lectori me sperem probaturum, nunc proferam.

XIX. Chaeris.

Chaeris, grammaticus minime ignotus, in Homerum, Pindarum, Aristophanem commentarios condidit artibusque et criticae et interpretatoriae his in poetis exercendis non

---

Ἁρμόδιος; Ἡρόδικος vel Ἀρτεμίδωρος Dobraeus. praetuli Ἡρόδικος, cuius κωμῳδούμενα memorantur ab Athenaeo" ita Dind.; sed silentio praeteriit v. d. Schneiderum p. 93] δὲ ἐν τοῖς κωμῳδουμένοις καὶ τὸν Ἄδμητον ἀναγέγραφε παραθεὶς τὰ τοῦ Κρατίνου ἐκ Χειρώνων 'Κλειταγόρας ᾄδειν [ᾄδει V], ὅταν Ἀδμήτου μέλος αὐλῇ'. Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Χαίριδος, ὡς Ἀρτεμίδωρός φησι, περὶ μὲν τῆς Κλειταγόρας τῆς ποιητρίας, ὅτι ὡς ἀνδρώνυμον ἀναγέγραφε Κλειταγόραν, Ἀμμώνιος ἀπελέγχει αὐτόν, περὶ δὲ τοῦ Ἀδμήτου παρεῖχεν. [„Ἀμμώνιος — παρεῖχεν addidi ex V. ante παρεῖχεν aliquid excidit" Dind.] ad quod schol., quo ad maiorem rem contra plerosque viros doctos stabiliendam argumento Ahrensius usus est (Bucol. Gr. rell. II p. XXXVI sqq.), non sine haesitatione aggredior. etenim hoc loco cum Apollonium ab Ammonio refelli Artemidorus referat, Ammonium post Aristarchum aetate proximum fuisse quoniam nobis constat, Apollonium Chaeridis filium putantibus difficultas inde oriatur gravissima. sed istud scholium magnam mihi movere fateor suspicionem. neque enim possum satis mirari totam enuntiati structuram: Ἀπολλώνιος —, ὡς Ἀρτεμίδωρός φ., περὶ μ. τ. Κ. —, ὅτι ὡς ἀ. ἀ. Κ., Ἀμμώνιος ἀπελέγχει αὐτόν —, quae ut nimis difficilis et ἀνακόλουθος ab scholiastarum dicendi genere valde mihi videtur discrepare. iam tecum reputa quaeso certam quandam hic haberi oppositionem: ὅτι — Κλειταγόραν, — περὶ δὲ τοῦ Ἀδμήτου παρεῖχεν, atque haec quidem duo nomina exhiberi in versu illo Cratini ab Herodico excitato. quid multa? huc inclinat iudicium, eum qui ut masculinum nomen Clitagoram exhibuit, non fuisse Apollonium, sed eundem illum qui Admetum ἀναγέγραφε, ut existimem, Herodicum; quem de Clitagora ab Apollonio refutatum esse, de Admeto probatum; Ammonii vero nomen nonnisi per errorem irrepsisse, quod ex iterato Apollonii nomine facile putaveris exortum. ut hunc fere in modum schol. putem scriptum fuisse: Ἡρόδικος δὲ ἐν τοῖς κωμῳδουμένοις καὶ τὴν [? τὸν] Κλειτα-

mediocrem dedit operam [1]). cuius commentarios inter scripta a Didymo usurpata recte recensuit Lehrsius, Ar. p. 30; aetate eum inter Aristarchum et Didymum [2]) referendum vidit post Graefenhanium (t. II p. 118) La Roche, H. T. 81: Aristarcho enim eum posteriorem disertissime arguit schol. *I* 605 Ἀρίσταρχος γὰρ ἄνευ τοῦ ῑ — ὁ δὲ Χαῖρις βοηθῶν αὐτῷ φησιν κτέ. attamen miror, quod nihil certius viri docti de eo, et ne La Rochius quidem statuerint. equidem enim nullus dubito, quin Aristarchi discipulorum consortio Chaeris sit inserendus. clamat enim disertissime Aristarchi in disciplina eum fuisse schol. quod modo attulimus Herodiani *I* 605, ubi Aristarchi falsae τιμῆς vocis ut genetivi explicationi succurrit et — quod maximi est momenti — quo ille versu opinionem suam tuitus sit, refert: ὁ δὲ Χαῖρις βοηθῶν αὐτῷ φησιν, ὅτι ἐπιφέρει ʻοὔτι με ταύτης χρεὼ τιμῆςʼ (v. 607). clamat idem schol. *η* 80, ubi suspectum esse Aristarcho locum testatur: ὑποπτεύεται ὁ τόπος, ὡς καὶ Χαῖρίς φησιν ἐν διορθωτικοῖς. — non indignum, in quo paullulum moremur, schol. *N* 103, ubi haec Herodianus: Ἀρίσταρχος βαρύνει τὸ θώων, καὶ ἐπείσθη ἡ παράδοσις; contra Pamphilus in his genet. plur. severae analogiae legibus addictus fuisse dicitur, qui καὶ τὸ Τρώων καὶ δμώων καὶ παίδων ἀνεγίνωσκε περισπῶν, ἔτι δὲ καὶ τὸ πάντων καὶ λάων καὶ τίνων — similiter autem atque eum iam ante de his iudicasse Dioclem et Dionysium Thracem ex altera scholii parte [3]) cognoscimus,

---

γόραν καὶ τὸν Ἄδμητον ἀναγέγραφε, κτέ. Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Χ. — Κλειταγόραν, ἀπελέγχει αὐτόν, κτέ. — atque ita Apollonius, cum Herodico illi Crateteo obloquatur, ut Chaeridis filius, et ipse Aristarcheum se praebeat. —

1) disputaverunt de eo Boeckh. Praef. scholl. Pind. p. XVI. O. Schneider, Ar. scholl. fontt. p. 89. La Roche, H. T. 81. 82. — cf. Villois. Prol. Il. XXIX. — de nomine saepe in Χάρης mutato, item in Χάρις (cf. quod similiter factum modo vidimus in Apollonio Chaeridis) v. La Roch. n. 147. in scholl. Ven. A et Pind. ubivis legitur Χαῖρις. — etiam infra oratio in hanc rem incidet.

2) Didymo priorem eum esse et ipse Boeckh. conclusit e schol. Pyth. IV, 446.

3) cuius nonnulla admodum turbata sunt; tradita enim: —

denique analogiae signa hac ex parte prorsus destitui a Chaeride: *Χαῖρις*[1]) *δέ φησιν οὐκ εἶναι ἐν δισυλλάβοις ἀναλογίαν.* ad quae Lobeckius, Paral. gram. gr. p. 121: „ac fortasse iam in vetere illa Grammaticorum controversia, quae fuit de analogia et anomalia sermonis, haec agitata est de monosyllabis quaestio. Tryphonis quidem memoratur liber *περὶ τῆς ἐν μονοσυλλάβοις ἀναλογίας* — quam huic generi videtur abiudicasse Chaeris; nam in schol. *N* 103, ubi accentus genetivorum *θώων, παίδων* etc. disceptatur, postrema verba — res ipsa demonstrat sic scribenda esse *ἐν τοῖς μονοσυλλάβοις*, aut certe significari inclinamenta monosyllaborum". at potuit de genetivis tantum huius generis, de quo totus locus est, Chaeris loqui. itaque iure fortasse Lerschio (Sprachphil. II p. 105) longius progressus esse Lobeckius videtur. sed haec ut mittamus, isto exemplo pulchre cognoscimus, cum ipse Aristarchus praeter suam analogiam (quod minime nimirum certae sibique constantis doctrinae ei satis alte perceptum erat principium) vivo sermonis usui latum admodum campum reliquisset: eius discipulos cum certas ubivis regulas statuere conarentur, alios in alios errores incidisse[2]), nonnullos autem, sicut h. l. Chaeridem sermonis formarum multiplicium copia tamquam territos, ubi nullam iam agnoscere sibi viderentur analogiam, anomaliam amplexos. v. Lehrs. Ar. 259. Steinthal. Sprachwiss. 491. 492.

at laudandum noster in homericae dicendi rationis peritia

τὸ δὲ θώων ἔνιοι περισπῶσιν, ἵν' ὁμοτονῇ τῷ θηρῶν καὶ κυνῶν, οὕτως δὲ καὶ Ἀρίσταρχος προφέρεται, Διοκλῆς καὶ ὁ Θρᾷξ Διονύσιος ὡς βαρύνοντες τὴν λέξιν. atque Goettling., Accent. p. 246, *οὕτως* istud ad lemma *θώων* parum probabiliter statuit referendum, de ceteris securus. sensum qui flagitatur restituit Lehrsius, Ar. 261: — *κυνῶν. ἡ δὲ παράδοσις βαρυτόνως. οὕτως δὲ καὶ Ἀρίσταρχος προφέρεται. Διοκλῆς δὲ καὶ ὁ Θρᾷξ Δ. καταγινώσκουσιν αὐτοῦ ὡς βαρύνοντος τὴν λέξιν.* — cf. Cramer. An. Paris. III 285, 14. v. La Roch. H. T. 402.

1) corruptum in *Χάρης* ap. Cramer. An. l. l.

2) luculento exemplo de Dionysio Thrace est, quod refert Herodian. ad *B* 262.

se praebet schol. *Z* 71, quod et ipsum schol. Aristarchi eum arguit adstipulatorem. v. enim ille cum Aristarcho legeretur sicut nunc quoque nobis *νεκροὺς ἂμ πεδίον συλήσετε τεθνηῶτας*, Zenodoto scribere placuit *Τρώων ἀμπεδίον συλήσομεν ἔντεα νεκρούς*, offenso ut apparet mutatis personis *κτείνωμεν — συλήσετε*. cf. Duentzer. Zen. p. 146. quam diversitatem cum retineret, sagaciter sibi visus est explicare Athenocles in hunc modum: *ὅτι τῷ μὲν καμάτῳ καὶ ἑαυτὸν ὁ Νέστωρ ὑποβάλλει, λέγων 'κτείνωμεν', τὸ δὲ κέρδος ἴδιον ποιεῖται τῶν στρατιωτῶν ἐν τῷ 'συλήσετε'*. et hic quidem argutius quam rectius: quippe tales sensus ab heroum illorum aëneis pectoribus satis alieni erant. contra sane ac sobrie Chaeris, cuius hanc apposuit sententiam Didymus: *ὁ Χαῖρις 'Ομηρικὸν εἶναί φησι τὸν τῆς ἑρμηνείας χαρακτῆρα, ὡς ἐν τούτοις 'ἄλλοι μὲν γὰρ πάντες ὅσοι θεοί εἰσ' ἐν Ὀλύμπῳ Σοί τ' ἐπιπείθονται, καὶ δεδμήμεσθα ἕκαστος'* (*E* 877. 8), *ἔδει γὰρ δέδμηνται ὡς πείθονται, ἢ ἀνάπαλιν. καὶ πάλιν 'ἀλλ' ἄγεθ' ὡς ἂν ἐγὼ εἴπω, πειθώμεθα πάντες, Νῦν μὲν δόρπον ἕλεσθε κατὰ στρατόν'* [1]) (*Σ* 297. 8). *καὶ ἀλλαχοῦ· οὐδὲ γὰρ ἄλλως ἀκμάζει ὁ Νέστωρ, ἀλλ' ὑπὸ γήρως ἔοικεν ἀπειρηκέναι.*

nec vero ubivis Aristarcho magistro consensum noster praebuit, sed sunt loci, ubi recedentem ab illius iudicio offendimus. ut schol. Didymi *B* 865 *Γυγαίη τέκε λίμνη*] *ἄνευ τοῦ ῑ, Γυγαίη τέκε λίμνη, ἡ κατὰ Ἀρίσταρχον εἶχε διόρθωσις. οἱ δὲ περὶ Χαῖριν καὶ Διόδωρον καί τινες τῶν καθ' ἡμᾶς* [2]) *προςτιθέασι τὸ ῑ,*

---

1) quorum duorum versuum nec singulos signis secludere debuit in scholl. ed. Dindorfius, nec M. Schmidt, Did. p. 114, alterum v. *B* 139, alterum *Σ* 298 notare; eo enim quod docet Chaeris, alter certe ita tantum valet, si cohaerentes illi vv., ut significavi, *Σ* 297. 8 subintelleguntur. ut et perverse proditam esse Chaeridis putem sententiam schol. B.

2) „ubi vides nostrum de suae aetatis Criticis loqui", Villois. Prol. II. XXIX. sed itane verba accipi debent, ut *τινές* idem sit quod *τινὲς ἄλλοι*? — Diodori (Aristophanei?) adeo vacillat memoria: v. Nauck. Aristoph. p. 7 n. 10. R. Schmidt. Callistr. p. 4. — Ahrens. Bucol. II p. XL.

ἵν᾽ ἦ λίμνῃ ἔπι Γυγαίῃ [1]) τέκε· κακῶς· μηδέποτε γὰρ Ὅμηρον λιμνῶν τέκνα ἱστορεῖν· βίαιοι δέ εἰσιν. — item in re critica Chaeris a magistro discedit *Z* 4, schol. BLV: πρότερον ἐγέγραπτο ʻμεσσηγὺς ποταμοῖο Σκαμάνδρου καὶ Στομαλίμνηςʼ. ὕστερον δὲ Ἀρίσταρχος ταύτην τὴν γραφὴν εὑρὼν ἐνέκρινεν. Χαῖρις [Χάρης codd.] δὲ γράφει· ʻμεσσηγὺς ποταμοῖο Σκαμάνδρου καὶ Σιμόεντοςʼ. — Chaeridis testimonium in re prosodica affertur schol. *B* 311 στρουθοῖο] ὡς ἀπὸ ὀξυτόνου εὐθείας ἡ ἀνάγνωσις· Χαίριδι δὲ ἤρεσκε βαρύνειν, καὶ ἴσως ἐπεὶ τὰ εἰς θος λήγοντα δισύλλαβα μονογενῆ, φύσει μακρᾷ παραληγόμενα, ἐβαρύνετο, Ξοῦθος, Ζῆθος καὶ μῦθος· κτἑ.: ubi valde mutila parumque accurata Herodianus praebet; ab ipso enim illo, de solit. dict. 42, 4 sqq. (quibuscum comparandum schol. Ar. Av. 877) discimus non nudum analogiae principium Chaeridi, quod στρουθος vocem βαρυτονητέον postularet, fuisse caussam, sed Atticos eius accentus testes ei allatos (Χαῖρις δέ φησιν Ἀττικοὺς βαρύνειν τὸ ὄνομα), idemque testatum Tryphonem. ergo in hoc quoque Aristarcheum se praebet, scilicet sicut Aristarchus et Dionysius Thrax ἀττικίζοντα Homerum habebat. (cf. M. Schmidt. in Philol. VII, p. 373). — homericae denique vocis interpretatio ab Chaeride auctore profecta latet scholl. ϱ 225 et σ 74. leguntur enim schol. Arat. phaen. 254: μηνόφαντος δὲ ἐπιγουνίδα τὴν κνήμην ἀκούει, διὰ τὸ εἶναι ἐπ᾽ αὐτοῦ τὸ γόνυ. δύναται οὖν ἀπὸ μέρους ὅλον τὸ σκέλος ἀκούεσθαι. παρ᾽ Ὁμήρῳ δὲ ἐπιγουνὶς τὸ ἄνω τοῦ γόνατος, ὡς Ἀρίσταρχος· ὡς δὲ Κράτης, ἐπωμίς· ὡς δὲ Χάρης, ἡ ἐφ᾽ ὅλου σώματος εὐσαρκία. Χάρης quod hic habetur, sicut aliis locis, in Χαῖρις mutandum esse recte perspexit Spitznerus [2]). quibuscum conferas quaeso schol.

1) sic Dind. et La Roche; parum recte, quamquam ex h. schol. dicendi ratione facile profectam, M. Schmidt, Did. 124, Chaeridi et Diodoro imputat scripturam λίμνῃ ἔπι Γυγαίῃ. illam, ut per se necessaria videtur, ita testatur Eustath. 336, 3: οἱ δὲ σχολιασταὶ τὸ μὲν Γυγαίη δέχονται κατ᾽ εὐθεῖαν πτῶσιν, τὸ δὲ λίμνῃ κατὰ δοτικήν.

2) Curar. crit. in scholl. Apollon. Rh. et Eudoc. Viol. Partic. I (qua ad examen vernale — invitat), Wittenb. 1819. p. 6. 7.

ϱ 225: — *ἐπιγουνίδα δὲ λέγει τὴν τοῦ σώματος εὐεξίαν. ἀπὸ γὰρ μέρους τοῦ κατὰ τὸ γόνυ δέρματος τὸ πᾶν ἐσήμανεν. ἢ τὸ ὑπεράνω τοῦ γόνατος*; ubi priora Chaeridi, Aristarcho postrema tribues. et schol. σ 74 *ἐπιγουνίδα*] *τὸν ἐπάνω τοῦ γόνατος τόπον. ἀπὸ δὲ μέρους τὸ πᾶν σῶμά φησιν. εἰ γὰρ τὸ ὀστῶδες μέρος εὔσαρκον, πῶς οὐκ ἂν καὶ τὰ ἄλλα;* ubi quod legitur *εὔσαρκον*, eo magis ad Chaerin interpretem ducimur.

atque haec sunt, quae Chaeridis in Homerum curarum etiamnum exstant fragmenta [1]). quae licet perpauca sint, hoc tamen inde cognoscimus Chaeridem in quolibet interpretis munere esse versatum, nec non illud profecto, nec scaevi fuisse hominem ingenii nec parvae auctoritatis, denique eum, qui Aristarchum cum sectaretur, non tamen iuraret in magistri verba, verum ubicumque videretur magistri auctoritate diffidere suoque potius niti iudicio auderet. ceterum illum studia sua homerica veri simile est complexum esse libro qui nominatur schol. η 80 *διορθωτικά*, qualia nostratibus vocantur 'kritische Bemerkungen zu Homer s. Beiträge zur Kritik des Homer' (La Roche p. 81). et recte ut mihi videtur La Roche: „Es scheint somit, dass die Schrift des Chaeris, welche die Scholien zu η 80 *διορθωτικά* nennen, ein kritisch-exegetischer Commentar gewesen ist wie auch die *διόρθωσις* des Crates [2])". (p. 82).

paucissima vero sunt ac valde exilia, quae de Aristophaneis Chaeridis studiis scholiis nostris edocemur. in his cum ter illius nomen compareat: schol. Av. 877 [3]). Vesp. 672. Ran. 1028 — schol. Av. 877 tamen non nisi ad observationem de *στροῦθος* illam, quam supra memoravimus, avocamur; schol. autem Vesp. 672 hoc tantum discimus: *καὶ Χαῖρις* [item ut Euphronius] *δὲ τὸ κήθιον τρυβλίου τι εἶδος*. paullo maioris

---

1) cet. quod addit La Roche schol. α 58 Chaerin citari, error nescio quis subest; neque enim ibi eius mentio fit.

2) cf. Wegener. Aul. Att. p. 125.

3) nam hic quoque in *Χάρης* (quod sepositum a *Χαῖρις* invenis in Dindorfii et Duebneri indice) Chaeridis nomen latet, quod evincitur comparanti Herodian. *περὶ μον. λέξ.* 42, 14 et schol. *B* 311. cf. Lehrs. Herod. p. 147.

momenti sunt quae exstant schol. Ran. 1028. ibi igitur cum sit disceptatio de perverse tradito poetae v. ἐχάρην γοῦν, ἡνίκ' ἤκουσα περὶ Δαρείου τεθνεῶτος [1]), qui v. ad Persas Aeschyli spectat, postquam scholii initio quantopere illa cum veris pugnent — neque enim in Persis Aeschylea Darii nuntiari mortem — expositum est, varii dein interpretes, variis qui modis rem expedierint, afferuntur, atque in his primus Chaeris: Χαῖρις δέ φησι τὸ Δαρείου ἀντὶ τοῦ Ξέρξου. σύνηθες γὰρ τοῖς ποιηταῖς ἐπὶ τῶν υἱῶν τοῖς τῶν πατέρων ὀνόμασι χρῆσθαι. πρὸς ὅν ἐστιν εἰπεῖν ὅτι ἐν τῷ δράματι λέγεται 'Ξέρξης μὲν αὐτὸς ζῇ τε καὶ βλέπει φάος'. atque iterum comparet Chaeridis sententia in altera scholii parte post ἄλλως, ubi Didymus varias de re opiniones enumerat: — (τινὲς δὲ γράφουσι Δαρείου τοῦ Ξέρξου) οἱ δέ, ὅτι τοῖς κυρίοις ἀντὶ τῶν πατρωνυμικῶν κέχρηνται, καὶ ὅτι [ἔστι Θ] ὁ Ξέρξης. (οἱ δέ, ὅτι εἴδωλον Δαρείου φθέγγεται, ἐκείνου [ἐκεῖ. em. Dobr.] τεθνηκότος δηλονότι) [2]). in istis vix possum satis mirari Chaeridis temeritatem, quae haud facile dixerim utrum gravior videatur in inepta hac opinione, qua ipsis nominibus propriis pro patronymicis uti licere poetis docuerit, an in eo, quod Xerxis mortem Aeschyli Persis

1) nec minus, ut consentaneum, recentibus is v. exercitationis praebuit. aliquos ut afferam, Fritzschius sic scripsit: ἐχάρην γοῦν τῇ νικᾳκούσας παρὰ Δ. τ. Dindorfio placet ita: ἐχάρην γοῦν ἡνίκα φάσμ' ἐφάνη Δαρείου τοῦ τ. — fusius de l. Fritzschius, Ran. p. 331—335.

2) in his si vere tres sententiae distinguuntur, aut Δαρείου ante τοῦ Ξέρξου delendum, aut ἀντί ante id inserendum videtur; praeterea sese commendat cod. Θ scr. καὶ ἔστιν ὁ Ξ. habeamus ita primum eos, qui etiam longius quam Chaeris progressi τοῦ Ξέρξου, quod ille subaudiebat, in textum etiam receperint, dein ipsum Chaeridem, postremo eos, qui Δαρείου τεθνεῶτος nil nisi Darii umbram sibi velle monuerint. sed recte fortasse locum Fritzschius emendavit hunc in modum: τινὲς δὲ Δαρείου ἀντὶ τοῦ Ξέρξου, ὅτι τοῖς πατρωνυμικοῖς ἀντὶ τῶν κυρίων [?] κέχρηνται, οἱ δέ, ὅτι ζῇ ἔτι ὁ Ξέρξης, καὶ ὅτι εἴδωλον Δαρείου φθέγγεται ἐκεῖ, τεθνηκότος δηλονότι. „in his repetitur et iterum refutatur Chaeridis opinio, ut haec simillima sint superioribus Χαῖρις - βλέπει φάος.“

ausus sit imputare — quod ut redargueret, non ita hercle magnam callente doctrinam opus fuit scholiasta.

multo autem ampliora operae quam Pindaro Chaeris navavit, vestigia in scholiis nostris comparent. ibi enim decies in testimonium ille vocatur, qui loci fere omnes sunt in scholiis Pyth. IV: 18. 61. 156. 188. 195. 259. 313. 446. 459; praeterea ad Nem. I, 49. ut eandem quam veterum interpretum multi sortem Chaeris videatur passus esse, quae scilicet in aliqua tantum eius scriptoris, quem ad illustrandum sibi sumpsisset, parte studiorum reliquias ceteris abolitis ad nostram memoriam siverit ferri. inter illos autem quos attuli locos nonnulli interpretis sunt (schol. Nem. I, 49. Pyth. IV, 18. 156. 313), plerique critici; atque in eis quidem tam aequa fortuna, immo tam sano iudicio eoque acumine rem suam gessit, ut nonnulla eorum, quae viderat ille, ab nostrae aetatis viris doctis non comprobata tantum, sed etiam in textum recepta sint.[1]) ceterum nobis singula obiter strinxisse satis fuerit. schol. Pyth. IV, 61 *Χαῖρίς φησι δεῖν γράφειν παρατυχόν, ἵν' ᾖ· ἀναρπάσας δὲ εὐθὺς ἐκ τῆς γῆς τῇ δεξιᾷ χειρὶ τὸ παρατυχὸν ξένιον ἐζήτει παρασχεῖν, ὅπερ ἦν ἡ βῶλος.* haec est quam metro adversantem coniecturam Boeckhius dicit. sed recte sine dubio Bergkius: „*προτυχόν* videtur Chaeris de coniectura restituisse, cum olim *προτυχών* legeretur. Schol. *Χαῖρις δέ φησι δεῖν γράφειν προτυχόν*, ita G., legebatur *παρατυχόν*, quo vocabulo schol. deinceps interpretandi gratia utitur.“[2]) — idem verisimilem certe et a Bergkio quidem praelatam scripturam invenit v. 189, ubi pro tradita *οἴκαδ', ἀρχαίαν κομίζων* emendavit *οἴκαδ', ἀρχὰν ἀγκομίζων.*[3]) v. 445

1) in universum de eis iudicat Boeckhius, Praef. p. XVI: „Chaeris —, qui praeter interpretationem et iudicia quae vocant aesthetica coniecturas ausus est, Pyth. IV, 61. metro adversantem, sed bonam et nunc receptam Pyth. IV, 195. et spernendas Pyth. IV, 188. 259. 459.“

2) cf. Mommsen.: „*προτυχόν* (hanc Chaeridis lectionem fuisse omnes mss. testantur, non *παρατυχόν*; id enim est interpretamentum lectionis *προτυχόν*).“

3) ubi non moror Bergkium ex his quae in schol. sunt *ἵν' ᾖ· τὴν ἀρχὴν ἀνακομιούμενος κτἑ.* colligentem etiam *ἀγκομίξων* Chae-

recte noluit *Πελίαο φόνον συνθέτως ἀναγινώσκειν*. cf. M. Schmidt. Did. 226. v. 459 *ἄν ποτε Καλλίσταν ἀπῴκησαν χρόνῳ νᾶσον*] *Χαῖρις βούλεται γράφειν ἔν ποτε ἀντὶ τοῦ ἄν* [1]) *ποτε, κατὰ τὴν Πινδάρου συνήθειαν* — quam Chaeridis emendationem *ἐν* (pro *ἐς*) receperunt Mommsenus et Bergkius. porro v. 195 scripturam proposuit a recc. receptam *ἁμετέρων* — *ἀρχεδικᾶν* pro *ἁμετέραν ἀρχεδίκαν*. denique v. 259 *Μοῖραι δ' ἀφίσταντ', εἴ τις ἔχθρα πέλει* (— *η* Bergk.) schol.: *ὁ δὲ Χαῖρις προςτιθεὶς τὸ ῑ γράφει ἀφίσταιντο, ἵν' ᾖ εὐκτικὸς ὁ λόγος · ἀφίσταιντο αἱ Μοῖραι, εἰ μέλλοι* [2]) *ἐν τῷ γένει ἡμῶν διαφορὰ γενέσθαι. ὥςτε πρὸς ἀναίδειαν τραπῆναι. καὶ οὐκ ἀπιθάνως ὁ Χαῖρις.* in quo nemo quod scio eum secutus est.

restant ei loci, ubi in poetae verborum sensum Chaeris inquirit. schol. Pyth. IV, 18 *ἀθανάτου στόματος*] *ἀθάνατον στόμα τὸ Μηδείας εἶπεν, ὡς μὲν Χαῖρις, ἐκ μέρους τὴν ἀθάνατον, ἐπεὶ καὶ Ἡσίοδος ἐν τῇ Θεογονίᾳ* (vv. 956—962) *ἀθάνατον αὐτήν φησιν· ὡς δὲ Ἀσκληπιάδης, ὅτι οὐδὲν τῶν ῥηθέντων ὑπ' αὐτῆς ἀτελὲς γέγονεν οὐδὲ ἐφθάρη*. ad quam Asclepiadis opinionem inclinavit Boekhius, cum interpretatus sit 'ob divinitatem fatidicam', Chaeridis illam Hartungius amplexus est. v. 156 *ἄλλως* — *μέμφεται δὲ Χαῖρις ἐπὶ τῇ παραλήψει τῶν Ἀλωειδῶν* (Oti et Ephialtae) · *ἀρκεῖ γὰρ ὁ Ἀπόλλων καὶ ὁ Ἄρης. θεοῖς μὲν γὰρ εἰκάζομέν τινας, ἀνθρώποις δὲ ὑπερφυέσι καὶ τερατώδεσιν οὐκέτι.* hoc igitur offendit Chaeridem, quod poeta postquam cum diis comparavit Iasonem, etiam cum hominibus quamvis insignibus comparaverit. ceterum nostrum refellit Boeckhius: „neutrum [sc. neque Apollinem neque Martem] tamen cum esse posse perspiciant, iam de heroibus cogitant statura et ferocitate insignibus, ex parte etiam pulchritudine — illos igitur cur nominaverit, satis patet; quibus cum Tityus proceritate corporis

---

ridem legisse. sed sane *ἀγκομίζων* potuit pro praes. conat. accipere. — *ἀρχαίαν* volebant idem valere quod *ἀρχήν*. cf. Lobeck. Paral. p. 298.

1) quod quaeri potest *ἄν* sit an *ἄν* [ita G.].

2) unde probabiliter Bergk. collegit etiam *πέλοι* nostrum legere voluisse.

simillimus fuerit, hunc haud inepte additum censeo, frigidumque Chaeridis ap. Schol. iudicium puto." — v. 313 *ἐξ Ἀπόλλωνος φορμιγκτάς*] post accuratam sanamque Ammonii sententiam, qui nil nisi hoc sibi velle poetae verba contendit: *ὁ τοῦ Ἀπόλλωνος μουσικός*, et in testimonium allato hymn. hom. 24 v. 2 cum loquendi formula illa comparat morem, quo reges Iovis filios perhibebant, *οὐχ ὅτι γόνος εἰσὶ τοῦ Διός, ἀλλ' ὅτι τὸ βασιλεύειν ἐκ Διὸς ἔχουσιν*, Chaeridis affertur iudicium non ita laudabile, quamquam Asclepiadis testimonio probatum: *ὁ μέντοι Χαῖρις οὐκ ἀπιθάνως τούτους φησὶν ὠνομάσθαι τοὺς ἐκ θεῶν γεγονότας, οἷον Διοςκούρους καὶ Ἡρακλέα, οὕτω δὴ καὶ Ὀρφέα, διὰ τὸ Ἀπόλλωνος εἶναι υἱὸν γόνῳ. παρατίθεται δὲ καὶ χρησμόν τινα κτἑ.* — denique schol. Nem. I, 49: — *ὁ δὲ Χαῖρίς φησιν, ὅτι ὁ Χρομίος πολλὰ συμπονήσας τῷ Ἱέρωνι κατὰ τὴν ἀρχὴν ἀμοιβῆς ἔτυχεν ἐξ αὐτοῦ, ὥςτε ἐκ περιουσίας καὶ ἱπποτροφῆσαι. ὡς οὖν οὗτος ἔπαθλον ἔλαβε πόνων τὴν ἐπιφάνειαν, οὕτω καὶ Ἡρακλῆς πολλὰ ταλαιπωρήσας, ἔπαθλον ἔσχε τὴν ἀθανασίαν καὶ τὸν γάμον τῆς Ἥβης.* cui non inepte adversatur scholiasta, cum addat: *καὶ πρὸς τοῦτον δὲ ἔνεστιν εἰπεῖν· τί δήποτε ὁ Πίνδαρος ἰδιώτην ἐπαινῶν τὴν τοῦ Ἡρακλέους παρέλαβε συμφορὰν εἰς ἐπίδειξιν τῆς φιλοπονίας; μᾶλλον γὰρ ἔδει κοινότερον πάντας τοὺς ἄθλους εἰς ὑπόμνησιν ἀγαγεῖν, ὅτι καθήρας γῆν καὶ θάλασσαν ἀπεθεώθη.* cf. Dissen. p. 357. —

atque hactenus oratio Chaeridis commentariorum reliquias percurrit. ante vero quam finem huic disputationi imponamus, quoniam haud raro *Χάρης* nomen pro nostro legi in libris vidimus, in hanc rem paucis etiam nobis inquirendum erit. atque hoc spondeam omnibus quos adhuc attuli locis unum illum Chaeridem innui, et prorsus non esse, cur huc illucve admittamus *Χάρητα*. ac iam fateor sic me existimare Charetem grammaticum omnino non fuisse, sed ubique pro eo Chaeridis nomen reponendum. restant enim duo tantum loci, ubi 'Chares' grammaticus nominatur. quorum alter est Sext. Empir. adv. math. 81 p. 616, 12 Bekk.: *Χάρης δὲ ἐν τῷ πρώτῳ περὶ γραμματικῆς τὴν τελείαν φησὶ γραμματικὴν ἕξιν εἶναι ἀπὸ τέχνης διαγνωστικὴν τῶν παρ' Ἕλλησι λεκτῶν καὶ νοητῶν ἐπὶ τὸ ἀκρι-*

βέστατον, πλὴν τῶν ὑπ' ἄλλαις τέχναις.[1]) sed Chaeridis fuisse hanc definitionem schol. testatur apud Bekker. An. p. 663, 10: *ὅθεν ὁ Χαῖρις οὐκ ὀρθῶς ὡρίσατο τὴν γραμματικήν, λέγων γραμματική ἐστιν ἕξις ἀπὸ τέχνης καὶ ἱστορίας διαγνωστικὴ τῶν παρ' Ἕλλησι λεκτῶν.*[2]) praeter illos igitur commentarios Chaeris etiam librum *περὶ γραμματικῆς* composuit. atque huc quidem ego nescio an trahenda sint quae refert schol. supra allatum *N* 103: *Χαῖρις δέ φησιν οὐκ εἶναι ἐν δισυλλάβοις ἀναλογίαν.* — unus me vexat qui superest locus, Phot. lex. s. v. *ἦ δ' ὅς* s. Et. M. 416, 31. ibi enim post Eratosthenis[3]) et Aristarchi[4]) de ista locutione sententias mira admodum leguntur apud Photium haec: *ἦ δ' ὅς: ἀντὶ τοῦ ἔφη δὲ οὗτος· καὶ ἀντὶ τοῦ ἔφη· τάττεται δὲ καὶ ἐπὶ ἀνδρὸς καὶ γυναικός· καὶ ἀντὶ τοῦ ἔφασαν. καὶ ἀντὶ τοῦ ὦ φίλε· τοῦτο Χάρης μέν φησι καὶ Κριτόλαος σημαίνει. διελέγχεται δὲ ὑπὸ πλειόνων*[5]); et in Et. M. haec: [*ὡς*] *Χάρης δὲ καὶ Κριτόλαος ἀντὶ τοῦ ἔφασαν, καὶ ἀντὶ τοῦ ὦ φίλε, σημαίνει, φασί. διελέγχεται δὲ ὑπὸ πλειόνων.* et ad sententiam quidem v. quae adnotat Naberus ad h. Photii l.: „manifestum grammaticum errare, et legitur praeterea *ἦ δ' ἥ* ap. Plat. in Symp. 205 E. errat quoque Scholiasta Plat. — Scilicet confudit *ἦ δ' ὅς* et *ἦδος*, quod re vera indecli-

---

1) videndus de his Steinthalius, Gesch. d. Sprachwiss. p. 538. — mira Wegeneri huius loci translatio, Aul. Attal. p. 107: „— facultatem arte partam, quae vim haberet discernendi exactissime ea, quae apud Graecos dicerentur et cogitarentur, quaeque ea etiam adjiceret [?], quae sub aliis essent artibus.“ — ceterum eidem (quem secutus est Graefenhanius, 1 p. 344) minime equidem concesserim ex eis quae paullo post apud Sextum sequuntur *ἔοικε δὲ* [sc. *Χάρης*] *καὶ Κρατήτειόν τινα κινεῖν λόγον*, colligi debere ipsum hunc '*Χάρητα*' fuisse Crateteum. cf. Steinthal. l. l. n.

2) cf. Steinthal. p. 539 n. 1.

3) cf. Bernhardy. Eratosth. p. 218.

4) cf. Lehrs. Ar. p. 104.

5) cf. Suid. I, 2 p. 820, 6: *ἦ δ' ὅς· ἀντὶ τοῦ ἔφη δὲ ὅς. τούτῳ χρῶνται καὶ ἐπὶ πλήθους, καὶ ἐπὶ θηλυκοῦ καὶ ἀρσενικοῦ.* schol. Plat. Phaed. 65 B: *τάττεται δὲ ἐπὶ παντὸς προσώπου καὶ ἀριθμοῦ.*

nabile est, cf. Ael. Dionys. ap. Eustath. p. 1417, 21, quae est sententia Dindorfii ad H. St. VIII, 747 C —." sed ipsi loci vehementer dubito an recte se non habeant. primum enim, quod Charetis et Critolai nomina iuxta inter se posita invenimus, res mihi videtur offensionis plena. attendas quaeso sententiam prorsus grammatici videri esse, ac proferri h. l. post Eratosthenis et Aristarchi placita relata. quare quoniam Critolaum grammaticum non habemus compertum, equidem in istius mentione vix acquieverim. an tu putas a Critolao philosopho peripatetico, Aristotelis discipulo, istam opinionem profectam? ut tamen possit de eo cogitari: at alia sunt, quae suspectum mihi locum reddant. quae enim in Et. M. leguntur, — *σημαίνει, φασί* ipsa corruptelae speciem prae se ferunt. sed ne Photii quidem verba incorrupta videntur. quid enim *Χάρης μέν φησι καὶ Κριτόλαος σημαίνει*? haec sane inusitatissima foret verborum declarandi abundantia. accedit, quod apud utrumque pergitur *διελέγχεται*, non quod exspectamus *διελέγχονται* (ita quidem unus Etym. codex, sed quae facile potest esse correctio). haec cum considero, non mihi dubium videtur, Charetis vel ut ego existimo, Chaeridis nomen unum h. l. fuisse, Critolaum autem non nisi per errorem inrepsisse; quamquam quomodo inrepsisse putandum sit, non facile dixerim.[1]) ceterum si etiam hoc loco qui unus est post multos, quibus 'Chares' pro 'Chaeris' falso in mss. legi vidimus, Chaeridis nomen ut dixi restituerim, neminem spero fore cui inconsideratius egisse videar. — et tantum de Chaeride.

XX. Euphronius.

Euphronii in Aristophanis scholiis non raro[2]) fit mentio, atque ubivis ita, ut cogitandus sit grammaticus, qui commen-

1) fortasse non abs re sit hic memorare festivum errorem dudum viris doctis observatum in quem incidit Etymologus, cum quae Photius de Hermippi poetae in *Ἀθηνᾶς γοναῖς* locutione, dein de Aristarchi grammatica sententia exhibet, sic breviata prodidit: *παρ' ὃ δὴ Ἕρμιππος καὶ Ἀρίσταρχος* (an = teste Aristarcho?) *ἀντὶ τοῦ ἔφη δὲ ὅς.*

2) vicies septies: in Av. 266. 299. 358. 765. 798. 873. 933.

tarios in Aristophanem condiderit; qui commentarii proprie laudantur schol. Av. 1403: *Ἀντίπατρος δὲ καὶ Εὐφρόνιος ἐν τοῖς ὑπομνήμασί φασι* —. praeterea autem is commemoratur his locis: Athen. XI, 495 C. Et. M. s. v. *ἐνεργμός*. Tzetz. in Lycophr. 387. Phot. lex. 165, 11. 383, 21. Hesych. s. v. *λακκοσπέδα*. schol. Dionys. Thr. 782, 15. Suid. s. vv. *Διιτρέφης*. *κηρύλος*. *Μέτων*. *παραιξοροῦσιν*. *χαραδριός*. quorum locorum nonnullos omittere poteramus qui cum ad scholia illa redeant nil novi afferunt: Tzetz. in Lycophr. 387 (= schol. Av. 299). Suid. s. v. *Διιτρέφης* (= schol. Av. 788). *κηρύλος* (= schol. Av. 299). *Μέτων* (= schol. Av. 997). *χαραδριός* (= schol. Av. 266). denique Phot. 383, 21 convenit cum Suid. s. v. *παραιξοροῦσιν*. — hi autem loci sic omnes comparati sunt, ut non sit dubium, quin eundem laudent Euphronium cuius mentionem scholia in Aristoph. faciunt.

Euphronium deinde, ut apparet, philosophum peripateticum in Lyconis peripatetici testamento testium in numero nominatum invenimus apud Laert. Diog. V, 74 (*μάρτυρες Καλλῖνος Ἑρμιονεύς, Ἀρίστων Κεῖος, Εὐφρόνιος Παιανιεύς*): de quo aliunde nihil constat. — sed quae olim exstitit Strab. VIII, 382 scriptura: — *ἀφ' ὧν καὶ ὁ τὰ Πριάπεια ποιήσας Εὐφρόνιος Ὀρνεάτην καλεῖ τὸν θεόν*[1]) —, ea nunc emendata in — *Εὐφορίων* —; est autem is Euphorio Chersonesita, carminum priapeiorum auctor[2]), cuius hic latere nomen monuit Meinekius in Anall. alexandr. p. 341 sqq., item Lennepius in comment. ad Terent. Maur. p. 371. — denique Euphronius philosophus occurit ap. Suid. s. v. *Διόδωρος μονάζων*, ubi inter huius Diodori scripta refertur '*πρὸς Εὐφρόνιον φιλόσοφον*' — quod commemorasse satis est.

sed ut redeamus ad nostrum Euphronium grammaticum, huius aetatem si quaeres, longe inter se discedere virorum

997. 1378. 1379. 1403. 1536. 1563. 1745. Vesp. 604. 606. 674. 675. 696. 1005. 1086. 1144. 1530. Pl. 385. 904. Nub. 1264. Ran. 1093.

1) unde sua sumpsit P. Victor. in Varr. lectt. 34, 19.

2) cf. Hephaest. enchirid. p. 105. — Bernhardy. HLG. II, 2 p. 69

doctorum, qui obiter eum strinxerunt, invenies opiniones. nam O. Schneider, De vett. Arist. scholl. fontt. p. 87, 'Didymo recentiorem Euphronium vixisse' putat; cf. eund. p. 74 n. 1: „— Didymum et Euphronium —, qui, quantum video, Aristophanis interpretes praeter Symmachum fuerunt ultimi inter antiquos.“ similiter iudicant Graefenhanius, t. III, p. 260. O. Gerhard, De Aristarcho, Aristoph. interpr., Praef. et p. 10; Symmachi etiam et Phaini aetatibus eum iniungit G. Dindorf, scholl. in Ar. ed. t. III p. 391. contra longe aliud visum Radulfo Schmidt, qui in Comment. de Callistrato Aristophaneo, p. 21 (= Nauck. Aristoph. p. 327) n. 53 eundem hunc Euphronium statuit cum Euphronida eo, quem Suid. s. v. *Ἀριστοφάνης Βυζάντιος*[1]) inter Aristophanis praeceptores nominat; monet enim ille primitiva et patronymica nomina apud veteres saepe inter se commutari, de qua re praeter ea quae ipse affert exempla conferri iubet Hemsterhus. in Lucian. Tim. p. 414; et v. Nauck. Aristoph. p. 2 n. 3. haec vero R. Schmidtii coniectura, quam admodum probabilem dicit suspicionem summi ingenii vir A. Nauckius l. l., plane est *αὐτεσχεδιασμένη* nullo addito argumento. nos de ea quid iudicandum sit videamus. verum ut sit illud quod suspicatus est R. Schmidtius, habeamus Euphronium Aristophanis Byzantii magistrum, Zenodoto Callimacho paullulum recentiorem[2]), Dionysii Iambi fere aequalem, denique quem c. medium III a. Chr. saec. vixisse putemus. inter principes ergo Alexandrinae aetatis grammaticos ille referendus sit. quod ut male habuit Gerhardum, qui tamen non nisi suam alterius opinioni opposuit[3]), ita male habet me. ac primum ut illius sententiae refrager, me movet schol. Av. 873 *Εὐφρόνιος δέ φησιν,*

---

1) — *μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου· ἀλλὰ τοῦ μὲν νέος, τοῦ δὲ παῖς ἤκουσε· πρὸς δὲ τούτοις καὶ Διονυσίου τοῦ Ἰάμβου καὶ Εὐφρονίδα τοῦ Κορινθίου ἢ Σικυωνίου* —.

2) vides me pressisse Suidae verba: *ἀλλὰ τοῦ μὲν νέος, τοῦ δὲ παῖς ἤκουσε· πρὸς δὲ τούτοις καὶ κτέ.*

3) cum dixit: „[Euphronidem — eundem esse atque nostrum Euphronium] tamen ex temporum computatione prorsus reiciendum est.“

ὅτι ἐν Ἀμαρύνθῳ ἡ Κολαινίς, διὰ τὸ τὸν Ἀγαμέμνονα θῦσαι αὐτῇ ἐκεῖ κριὸν κόλον· ἐπὶ ταύτης δὲ Καλλίμαχος λέγειν [sic codd.] — ubi sine dubio Callimachum citat Euphronius. quid? tune putas aequalem fere poetam in re praesertim mythologica in testimonium vocari? tamen non nimium huic rei tribuerim, quoniam fieri potuisse illud concedendum est. sed aliud habeo, quod maioris momenti est. videsis schol. Vesp. 696: — Εὐφρόνιος δὲ καὶ σεσημειῶσθαί φησιν, ὅτι τὸν θῖνα ἀρσενικῶς ὡς καὶ Ὅμηρος εἴρηκεν —. iam circumspice quaeso a quonam critico eum v. σεσημειῶσθαι tibi persuadeas, si Euphronium eorum numero, qui criticae artis fundamenta posuerunt, iniungas. frustra circumspicis credo: etenim neque Callimachus (Zenodoti ne mentio quidem facienda) iustum commentarium in Aristophanem scripsit neque Eratosthenes propriam ei operam impendit; v. Schneider. p. 86. adde quod Aristarchus demum cum notarum criticarum ampliorem condidit usum, tum diplen ad varias notandas res (velut, id quod hic habemus, usus dicendi proprietatem) adhibuit. itaque — ne diutius moremur — dubium non videtur, a quo iste v. σεσημείωται, quin sit Aristarchus. ut non solum R. Schmidtii coniecturam illam reiciamus, sed etiam et post Aristarchum floruisse et inter discipulos eius fuisse Euphronium statuamus.

at enim rem nobis esse cum M. Schmidtio iam fatendum: cuius nunc demum nomen affero propterea, quod unus non sicut ceteri quos supra laudavi viri docti rem obiter strinxit vel quod sibi videretur simpliciter pronuntiavit, sed fusius atque accuratius de Euphronio egit, Didymi fragmm. p. 294. 295; ubi R. Schmidtii opinioni illi assentitur et haud levia addit fulcimenta. sed ne his quidem ne Aristarcho posteriorem iudicem Euphronium persuaderi mihi dixerim. atque illud quidem, quod maxime me movere supra dixi, et ipsum illum male habuit. dicit enim: „unus me locus Vespp. 694 propter vocabulum σεσημειῶσθαι vexat, sed confodere locum Chrysippus, Lycophro Eratosthenesve poterant.“ sane confodere poterant: sed ego non tam confodiendi in eo σημειοῦν inesse notionem putaverim quam diplen apponendi, quam qui apponeret, proprium dicendi poetae usum cumque Homero communem hic haberi significare

voluerit. ac talia iam ante Aristarchum facta num facile arbitrabimur? itaque hunc locum ad rem meam sustinendam gravissimum esse quin existimem facere non possum. — verum illius opinionis non levissimum argumentum M. Schmidtius hoc ducit, „quod saepissime et in scholiis et alibi Euphronius iste cum Callistrato Aristophaneo ita consociatus appellatur, semel etiam una cum Artemidoro Aristophaneo, nec non cum Seleuco Aristarcheo et Callistrato, ut per Callistratum eius memoria propagata esse videatur. Nam Plut. 385 *Καλλίστρατος δὲ καὶ Εὐφρόνιος τραγῳδίας ποιητήν φασι* saepius iam hoc in libro adnotavimus [cf. p. 289] sic verti debere 'Euphronius, cui Callistratus testimonium denunciat et ipse Callistratus'. Accurate igitur auctor schol. Vespp. 602 *Εὐφρόνιος μὲν — Καλλίστρατος δέ*." equidem tamen his non tantum tribuerim, ut ne meam rem evellant metuam. nam ut in hos locos mos ille citandi, quem v. d. acumen indagavit, cadere possit, tamen non necesse est ita statuere. quid enim? Euphronium si putamus Callistrato posteriorem, ecquid in illa Callistrati et Euphronii testimonia afferendi ratione nos offendet? minus ergo accurate mea ex sententia auctor schol. Vesp. 602 (604). — alterum ad suam sententiam firmandam argumentum vir summus petit ex schol. Av. 765 *Εὐφρόνιός φησι πάππον ὄρνεόν τι εἶναι — Καλλίμαχος οὐκ ἀναγράφει τὸν πάππον* 1). quo ex loco Callimachum in libro suo Euphronio data opera oblocutum esse v. d. collegit; suo sane iure, si illam de Euphronii aetate habuit sententiam. nobis vero quid obstat quin Euphronium Callimachi librum vel omnino ignorasse vel scientem putemus neglexisse? ceterum supra attulimus schol. Av. 873, ubi Callimachum in testimonium vocari a nostro diximus. — sed ut istis abnuendum nos duximus adsensum, sic nihili putamus Schneideri ceterorumque nostri aetatis computum, in hac certe re gravissimum nacti eundem M. Schmidtium socium. iure enim is schol. illud,

---

1) sic Bentleius et Dindorf.; quod ego praetulerim illi quod M. Schmidt. codd. ille quidem secutus: *Κ.· οὐκ ἀναγράφω τὸν π.* — pertinent haec ad Callimachi *περὶ ὀρνέων* librum. v. Schneider. Callim. II p. 16.

quod iam attulimus, Av. 765 Didymo deberi ait Euphronii sententiae adversus Callimachum patrocinanti: quod evadere ex Hesych. s. v. *πάππος*: — *σημαίνει δὲ καὶ ὀρνέου εἶδος.* similiter censet iudicandum de l. Hesych. s. v. *σπολάς* cl. schol. Av. 933; itemque per Didymum Euphronii sententias propagatas esse quae exstent apud Phot. 165, 11 s. v. *Κίλλεια.* 383, 21 s. v. *παραιξόρουσον.* Et. M. s. v. *ἐνεργμός*; nec non Didymi esse quae leguntur schol. Av. 798 *Εὐφρόνιος — ἔπλεκεν. ἀμάρτυρα δὲ ἀμφότερα.* summi autem ait esse momenti schol. Av. 1379: „— *καὶ Εὐφρόνιος μὲν χωλὸν εἶναι τὸν Κινησίαν φησίν — ἄλλως. Δίδυμος μὲν κύκλον, ἐπεὶ κυκλίων ᾀσμάτων ποιητής ἐστι, κυλλὸν δέ, ἐπεὶ χωλὸς ἦν. εἴρηται δὲ περὶ αὐτοῦ ἐν Βατράχοις. ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν διδασκαλίαις δύο φησὶ γεγονέναι. Σύμμαχος οὕτως· Εὐφρόνιος, ἐπειδὴ κυλλὸς ἦν ὁ Κινησίας. τοῦτο δὲ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν.* vides igitur Symmachum oblique castigare Didymum, quod Euphronii expositionem suam fecerit quamvis testimoniis, Symmachi scilicet aetate, non amplius stabiliendam; Euphronium vero, missum faciens Didymum, suo iure Symmachus perstringit, utpote explicationis illius auctorem principalem". — addo schol. Av. 299 *Εὐφρόνιός φησι τοὺς Δωριεῖς λέγειν, βάλε δὴ βάλε κηρύλος εἴην· τοὺς δὲ Ἀττικοὺς κείρυλον. φησὶ δὲ Δίδυμος τὸ κατὰ φύσιν ὄνομα κείρυλος λέγεσθαι*, ubi sine dubio Didymus ad nostri observationem respicit. — ceterum quibuscunque locis Euphronium videmus in aliorum societate aut vicinitate commemoratum, ei omnes ita videntur comparati esse, ut in illud quod dico temporis spatium, quod est inter Aristarchi aetatem et Didymi, sponte nos abducant. ut Athen. l. l. nominatos habemus hosce: *πελίκαι· Καλλίστρατος — ἀποδίδωσι κύλικα. Κράτης δ' — γράφει οὕτως —, τὴν δὲ Ὄλπην Κλείταρχος Κορινθίους μέν φησι — ἀποδιδόναι — Σέλευκος δὲ πελίχναν Βοιωτοὺς μὲν τὴν κύλικα, Εὐφρόνιος δ' ἐν ὑπομνήμασι τοὺς χόας.* dein sex scholiorum locis (Av. 933. 997. 1378. Vesp. 604. 675. Plut. 385. et Phot. 165, 11) eum invenimus iuxta Callistratum commemoratum idque plerumque post illum: e quibus quod secus collegerit M. Schmidt, supra dictum. item post Artemidorum Vesp. 1144, qui procul dubio Pseudoaristophaneus est. porro idem quod Euphronium testan-

tem videmus Chaeridem Vesp. 674. denique silentio non praetereundum schol. Av. 266 *Εὐφρόνιος ἐκ τοῦ χαραδριὸν μιμούμενος ἀξιοῖ δέχεσθαι ἀποκεκρυμμένος. ἐπεὶ γὰρ τοὺς ἰκτερικοὺς ὠφελεῖ ὁ χαραδριὸς ὀφθείς, οἱ πωλοῦντες αὐτὸν, φασὶ, κρύπτουσιν, ἵνα μὴ πρὸ τοῦ ὠνήσασθαί τις ἰαθῇ παρέργως. Ἀνδρέας δέ φησι τῶν ἰκτερικῶν οὐ τοὺς ἰδόντας, ἀλλὰ τοὺς φαγόντας ἀπαλλάττεσθαι τοῦ πάθους.* hic qui in testimonium vocatur Andreas sane idem est atque 'Andreas, Carystius medicus, qui vixit fere Ol. 150 ac scripsit librum *περὶ τῶν ψευδῶς πεπιστευμένων*' (Westermann. Paradoxogr. p. XIII). unde magnam meae rei exoriri calamitatem primo obtutu quispiam putaverit. sed facile ea expeditur. nam Andream hic ad nostrum respicere eumque refellere minime necesse est statuere. fuit nimirum ista de *χαραδριῷ* fabula vulgatissima, atque ut talem eam prodit noster, cum dicit — *φασί* [1]). omnino reputandum Euphronium minime debere, quod physicum, rationalem prodere rei explicationem: immo satis ei esse, si fabulam vulgo creditam ad poetae verba illustranda afferat.

his autem de Euphronii aetate expositis si vere statuerimus inter Aristarchum et Didymum nostrum floruisse, hinc profecto longius progressos nos iure nostro, id quod iam fecimus, eum Aristarchi discipulorum inserere [2]) numero nemo opinor negabit; eo enim ducit schol. illud Vesp. 696, in quo summum nostrae disputationis firmamentum positum esse supra diximus. — quodsi Callistratum et Euphronium compluribus locis dissentientes inter se atque obloquentes invenimus [3]), item Artemidorum et Euphronium (Vesp. 1144): similem quandam fortasse recte mihi videar inter Callistratum ut Aristophaneum et Euphronium ut Aristarcheum indagare aemulationem, atque quam in Apollonio Aristophanis interprete M. Schmidt aperuit, qua de re antea nobis actum.

---

1) ad quod non debebat Dindorf. adnotare 'Fort. *φησί*', ratione praesertim habita Suidae s. v. *χαραδριός: ὄρνεον, εἰς ὃν ἀποβλέψαντες, ὡς λόγος, οἱ ἰκτεριῶντες ῥᾷον ἀπαλλάττονται, κτέ.*

2) video item ac me iudicasse Bernhardyum, HLG. II, 2, p. 585.

3) schol. Av. 933. 1378. 997. Vesp. 604. 675.

ad scripta Euphronii quod attinet, commentarios in Aristophanem eum composuisse ex ipsis scholiis satis elucet; quos commentarios diserte commemorari schol. Av. 1403 iam initio dictum est. quodsi in paucarum fabularum scholiis eius memoria prodita est, hoc nonnisi casu factum censebimus cum Dindorfio, scholl. ed. t. III p. 388 n. ceterum e Suid. s. v. *παραιξοροῦσιν* (Phot. 383, 21) *Ταγηνιστάς* quoque Aristophanis eum interpretatum esse recte collegit Schneiderus p. 87. et aliqua vestigia eo adducunt, ut aliis quoque poetis comicis operam nostrum dedisse existimemus; quod quidem videtur Nauckio, l. l., Schneidero secus videtur. atque Athen. XI 495 Euphronii in Cratini Thressas significari commentarium non dubito, prorsus adsentiens Bergkio [1]) (Comm. de rell. com. att. ant. p. 91), quocum facit R. Schmidt. et fortasse licet ex Et. M. s. v. *ἐνεργμός* eius commentarium exstitisse in Phrynichi Connum elici. — ita denique loci quoque apud Phot. 165, 11 (ubi quid sit *Κιλλεία* exponit; cf. Hesych. s. h. v.) et schol. Dionys. 782, 15 (ubi quid sibi velint *φοινίκεια γράμματα* docet) sine dubio ex eius in comicum aliquem commentariis fluxerunt.

iam opera quam Aristophani Euphronius navavit, fere tota videtur collocata fuisse in poetae et vocabulis et sententiis interpretandis. paucae eius exstant de singulis vocibus observationes grammaticae. atque ab his ut ordiamur — schol. Vesp. 696 identidem nobis allato testis ille est usus *θίς* vocis ab Aristarcho ut nos putamus notati. quocum testimonio conferenda distinctio qua vocem *θίς* si esset *αἰγιαλός* feminino genere usurpari, si esset *σωρός* masculino docebant: v. Et. M. 450, 2 [2]); atque etiam duo diversa esse vocabula a diversis etymis derivanda eis placuit. at futilem esse eam distinctionem prorsus apparet si quis quae Steph. Thes. s. h. v. exhibet

---

1) qui comparari iubet Poll. X, 67 *προςθετέον δὲ τὰς ἐν Θράτταις Κρατίνου πελίκας ἢ κύλικας ἢ προχοίδια εἶναι δοκούσας.*

2) cf. tamen quibus haec ipsa tolluntur Et. M. 450, 34 *θίς: τὸ θὶς ἐπὶ τοῦ αἰγιαλοῦ ἀρσενικὸν καὶ θηλυκόν ἐστι· καὶ ἐπὶ τοῦ σωροῦ ὁμοίως ἀρσενικὸν καὶ θηλυκόν ἐστι.* cf. La Roch. H. T. 282.

exempla percenseat; in Homeri certe loquendi usum minime cadit, quippe apud quem huius verbi genus ubi agnosci possit (sunt autem duo tantum loci [1]): Ψ 695 et μ 45) masculinum legatur. et in hunc quidem errorem ille non incidit, immo dictum: ὅτι τὸν θῖνα ἀρσενικῶς ὡς καὶ Ὅμηρος εἴρηκεν. qualis autem fuit ista observatio? fortasse haec: θίς apud Homerum masculino genere usurpari; apud recentiores tamen poetas usitatius esse, certe si significaret 'litus', genus femininum. quo me ducunt Soph. Phil. 1124 πολιᾶς πόντου θινός et Ant. 591 κελαινὰν θῖνα. (item Arist. H. A. 5, 16 ἐν ταῖς θισί) [2]). — in prosodicis noster versatur schol. Av. 299: ubi docet τοὺς Δωριεῖς λέγειν [3]) κηρύλον, τοὺς δὲ Ἀττικοὺς κείρυλον, egregie falsus; v. Kock. ad l. G. Meier. Gramm. Gr. § 64; et Vesp. 1086 de v. γλαυξ accentu; cf. Herodian. καθ. προςῳδ. 14 (I, 397, 16 Lentz.). Eustath. Il. 88, 11. v. Goettling. Acc. 243. — singulas autem apud poetam voces interpretatur: Av. 933 σπολάς; cf. Poll. VII, 15. Strab. XIII, 608; Av. 1378 φιλύρινος; cf. Athen. XII, 551 D [4]); Vesp. 1144 χόλιξ; mire Av. 1745 χθονίας, cf. tamen Suid. s. v. χθονία; Vesp. 674 κήθια; Vesp. 997 πανθοινία; Vesp. 606 'homericae explicationis pravum atque exile conamen prodit' (M. Schmidt.); ἐτυμολογῶν Av. 873 Κολαινίς [5]); cum aliis deprehenditur errans Av. 1563 in λαῖμα,

---

1) et altero quidem voci notio αἰγιαλός est, altero σωρός.

2) sic ergo fortasse statuendum: θίς a principio unum nimirum fuit vocabulum cum significatu 'acervus'; quo mox accedebat angustior notio 'acervus arenae' et 'litus', etiam 'vis arenarum in fundo maris' (quam h. Aristoph. l. habemus; cf. Hesych. s. h. v.: — τὸ κάτω βάθος τῆς θαλάσσης); utroque autem significatu s. unius masc. s. masc. et fem. generis fuit; paullatim tamen fem. genus notioni 'litus' magis adhaesit; scilicet factum quod nos dicimus 'differenzirung'. — ceterum h. sch. nexus videtur turbatus. nonne sic rescribendum: τὸν θῖνα ταράττεις] ἐκ βυθοῦ με κινεῖς. ἀντὶ τοῦ τὴν καρδίαν. παρόσον καὶ ὁ θὶς ἐν βάθει τοῦ πελάγους κεῖται καὶ τὸ θυμικὸν ἐν τῇ καρδίᾳ. Εὐφρόνιος δὲ καὶ κτἑ.?

3) v. M. Schmidt. Did. p. 252.

4) ad rem cf. Aelian. V. H. IX, 14. X, 6.

5) v. Welcker. Götterlehre I, 581.

sed cui corruptum iam poetae verbum, ut videtur, explicandum erat [1]. — multus fuit ille in rebus explicandis, qualiacunque ad sententias poetae intellegendas valerent, afferens. sed haud raro in errores incidit. ut schol. Av. 266 maiorem profudit doctrinam quam quae aut opus esset ad h. l. perspiciendum aut apta [2]. male *αὐτοσχεδιάζοντα* prodit schol. Av. 997; felicius Av. 798. de *κωμῳδουμένοις* sunt schol. Av. 1379, ubi Didymo ille quidem probatur, improbatur Symmacho; Vesp. 673, ubi diversa de Conno [3] afferuntur. ad literarum historiam spectant schol. Plut. 385 de Pamphilo [4]; Av. 1403 ubi quod autumare fertur cum Antipatro iunctus, redarguitur auctoritate Aristotelis, ap. Procl. 14 [5]; Nub. 1264; ad antiquitates: Plut. 904 [6]. Ran. 1093 (probabiliter restituit Kusterus); ad rem mythologicam Av. 1536, ubi haud contemnenda se imbutum praebet doctrina; cf. Diodor. III, 57, ac v. L. Dindorf. in Thes. s. v. *Βασίλεια*. — proverbium explicat, et recte sine dubio,

---

1) rectum vidisse mihi videtur Bentl., qui *λαῖγμα* poetae restituit, quod vindicant codicis Ven. (quamquam man. rec.) *λαῖτμα* eademque ap. Suid. s. h. v. in optimo cod. Paris. (A Bernhardyi) scriptura exstans, collata glossa Hesychii *λαίγματα· πέμματα. οἱ δὲ σπέρματα. ἱερὰ ἀπάργματα.* comparandi praeterea Phot. 201, 14 *λάγματα, ἱερὰ ἀπάργματα*; Suid. s. v. *λαῖμα* II [‘scrib. *λαῖγμα*’ Bernh.; eandem igitur quam Aristoph. corruptelam perpessus est]· *τὸ ἱερόν, ϑῦμα*; Cramer. An. II, 9, 13 *λαῖγμα, τὸ ἱερόν*. — v. G. Dindorf. in Thes. s. h. v.

2) eadem fabula legitur ap. Aelian. H. A. XVII, 13. item ap. Plut. mor. 681 C, aliqua tamen ex parte correcta: unde videtur descripsisse Heliodor. Aethiop. 3, 8.

3) quibus in interpretandis, ad Callistratum quantum attinet et Euphronium, nescio an audacior fuerit Bergkius, Comm. de rell. com. att. ant., ubi pluribus de Conno agit p. 73—75.

4) de isto audiendus Fuhrius, in Mus. Rhen. 1837 p. 422 sqq., qui probabilius statuit de tragico poeta cogitari quam de pictore.

5) v. Bernh. HLG. II 573 sqq.

6) quod totum Euphronii esse censeo collata praesertim ea scholii forma, quam exhibent codd. RVΘ.

Vesp. 604. — denique huc pertinent schol. Vesp. 1530. Av. 765. — Av. 357.

haec si quis perlustraverit, Euphronium satis mediocrem iudicabit fuisse interpretem [1]). nec tamen verear, ne cui adeo non bonae frugis esse iste videatur, ut aetate Aristarchea prorsus indignus putandus sit aut etiam inde removendus.

XXI. Aretades.

Aretadem et Neotelem iniungere Aristarchi discipulorum gregi audeo propterea quod inter duos Aristarcheos Apollodorum et Dionysium Thracem eos enumerat Didymus schol. Ω 110: *Ἀπολλόδωρος καὶ Ἀρητάδης* [2]) *καὶ Νεοτέλης καὶ Διονύσιος ὁ Θρᾷξ διὰ τοῦ τ̄ τὴν πρόθεσιν γράφουσι καὶ δασύνουσι τὸ ᾱ, ἵνα ᾖ προςάπτω, ἀνατίθημι. οἱ δὲ χωρὶς τοῦ τ̄ ἔγραψαν καὶ ἐψίλωσαν τὸ ᾱ, ἵνα ταὐτὸν ὑπάρχῃ τῷ προϊάλλω, οἷον δίδωμι, προσπεύδω. οὕτως δὲ καὶ Ζηνόδοτος καὶ Ἀρίσταρχος ἐν τοῖς πρὸς Κωμανόν.* [3]) sed de his praeterea vix quidquam habemus compertum. atque Aretades lyticus proditur schol. γ 341: *ἐζήτησαν διὰ τί τοῖς θεοῖς ἀπένεμον τὰς γλώσσας. οἱ μὲν ἐνόμισαν, ὧν ἐστι Λέανδρος καὶ Ἀρητάδης* [4]), *κατὰ πατρῷον ἔθος Ἰώνων.* — idem sine dubio commemoratur ab Alciphr. epp. III, 56: *καθάπερ πρώην Ἀρητάδης ὁ γραμματικὸς ἐποίει, Ὁμήρου ὡς ἔφασκεν ἐπιλέγων στιχίδιον εὐμηχάνως αὐτῷ πρὸς τὰς ἁρπαγὰς τῶν βρωμάτων ἡρμοσμένον 'καὶ φαγέμεν πιέμεν τε, ἔπειτα δὲ καί τι φέρεσθαι'*; et a Porphyr. apud Euseb. praep. ev. X, 3, 16 libri de 'fortuita scriptorum idem tradentium convenientia' auctor: *Ἀρητάδου τέ ἐστι περὶ συνεμπτώσεως πραγματεία, ἐξ ἧς τοιαῦτα* [sc. furta literaria] *πολλά ἐστι γνῶναι.* — v. Wolf. Prol. Hom. 191 n. 61. Westermann. in Paulyi ER. s. v. Areta-

---

1) tale iudicium Schneideri, Graefenhanii, M. Schmidtii. nimis eum tollit Gerhardus, iure vapulans M. Schmidtio.

2) '*Ἀρητιάδης* vel *Ἀρετάδης* Hullemann. in Miscell. Philol. Amstel. 2 p. 75.' Dind. quae inspicere non potui.

3) cf. Duentzer. Zen. p. 127.

4) sic Nauck., cf. Stiehleum in Philol. IX, 486.

des. Mueller. FHG. IV 316. Nauck. in Mus. Rh. VI (1848) p. 432. Meinek. adn. crit. in Alciphr. l.

XXII. Neoteles.

Neotelis praeter schol. *Ω* 110 una quod scio in re eaque lytica mentio fit ab Nicanore ad *Θ* 325, Porphyrio ad *Θ* 328, Eustath. 715, 25. 34, ac laudatur a Porphyrio liber eius *περὶ τῆς κατὰ τοὺς ἥρωας τοξείας*. ceterum discedunt quae Porphyrius et Eustathius produnt a Nicanoris testimonio; cf. Friedlaend. Nican. 196. — v. Wolf. Prol. 193 n. 63.

Corrigendum.

P. 2 v. 17 scribendum *abs re* pro *absque re*.